MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80111-6

AUTHOR:

MULLER, LUCIAN

TITLE:

LVCIANI MVELLERI DE PACVVII FABVLIS...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1889

Master Negative #

91-80111-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Müller, Lucian, 1836-1898.
Lvciani Mvelleri De Pacvvii fabvlis dispvtatio.
Berolini, apud S. Calvarium, 1889.
50 p. 23½ cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12X
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 6/25/91 INITIALS MED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202











MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



E; F; Hrm. LVCIANI MVELLERI

DE

PACVVII FABVLIS

DISPVTATIO.



BEROLINI.
Apud S. Calvarium et Soc.
A. MDCCCLXXXIX.

Excerpta haec ex Actis Minist. Instit. Publ. Ross. Mai m. a. huius.

Typis expressit Petropoli V. Balaschevus.

DE PACVVII FABVLIS.

Notum est inter liberae rei publicae tragicos longe principe loco habitos existimatione communi Romanorum Q. Ennium, M. Pacuvium, L. Accium. Ac de Ennio quidem cum cura expositum a nobis in libro qui inscribitur: „Q Ennius. Eine Einleitung in das Studium der römischen Poesie", pgg. 75—104, ubi etiam de Pacuvio et Accio egi summatim. Sed emissa anno superiore Nonii editione cum haud pauca in horum fabulis aliter vel emendanda vel explicanda demonstraverimus atque olim factum, non videtur inutile de Pacuvio hoc loco rursus disputare adiectis nonnullis de Accio (de quo alias pluribus dicetur) et potissima eorum, quae ibi per duo volumina eaque amplissima sunt dispersa, coniuncta proponi paginis paucis, additis aliis, quae partim ex vita Ennii essent excerpta, partim recentissimo tempore inventa a nobis.

In citando Nonio paginis utar editionis Mercerianae, versibus nostrae; item in Ennio numeris ac notis recensionis propriae.—Praeter scripta supra memorata maxime sunt adhibita „Tragicorum Romanorum fragmenta" iterum recognita ab Ottone Ribbeckio (Lipsiae a. 1871) et eiusdem liber ita inscriptus: „Die Römische Tragoedie im Zeitalter der Republik" (Lips. a. 1875). Cuius de virtutibus et vitiis curiosius expositum vitae Ennii pg. 83 sqq. — Nam ut insignis est plerumque diligentia et cura, aliquando et subtilitate ac sollertia, sic idem cautissime adhibendus propter argutandi ariolandique vel remota et abstrusa sectandi amorem nimium, quo haud raro labuntur vitio illi, qui a fragmentis scriptorum tractandis studiorum sumpsere exordium.

Neque illud leviter offuit Ribbeckio in tractanda materia, quod neque verba poetarum ubique satis recte intellecta, et eadem, ubi gravius erant corrupta, plerumque temptata parum feliciter.

Itaque ut ad rem perveniamus, exploratum est nunc ac notum vulgo, de quo olim multi dubitarunt, ut Pacuvium Acciumque, ita iam Ennium tragoediae non modo palliatae, sed et togatae (quam alii praetextam vocarunt vel praetextatam) dedisse operam.

Et palliatae quidem, quae carminum graecorum constat vel interpretatione vel imitatione, Livium Andronicum fuisse auctorem pridem convenit inter omnes. Togatas primum compositas a Cn. Naevio, qui successit Livio, nostro saeculo est intellectum.

Nam fuerunt huius „alimonium Romuli et Remi" vel „Romulus" (eam falso existimavit et „Lupum" inscriptam fabulam Ribbeckius; cf. vitae Ennii pg. 84 sq.), qua origines celebrarentur urbis Romae, nec non „Clastidium", qua caneretur victoria a. a. Chr. 222 de Gallis relata ad Clastidium et M. Claudii Marcelli egregium facinus, qui interfecto Gallorum duci Virdomaro spolia detracta in aede Iovis Feretrii dedicavit (cf. Verg. Aen. VI, 858 sq.; Propert. V, 10, 39 sqq.). —Palliatae tragoediae cum materiam haberent petitam e fabulis Graecorum, togatae sunt ductae ex historia patria et quidem sola, idque rectissime. Cuius enim populi aut magnificentior fuit historia aut magis apta carmini tragico quam Romanorum?

Atque etiam Graecis inde a Phrynichi atque Aeschyli tempore cultam constat tragoediam historicam, sed mediocriter; de qua re cf. Ribbeckii lib. pg. 7.

Magis videtur mirum, quod ne Romani quidem suppetentibus tot tantisque exemplis virtutis vere Romanae ipsaque re ducente illud carminis genus curiosius tractavere. Cuius rei quae viderentur esse causae expositum est vit. Enn. pg. 288 sq.

De Pacuvii Acciique fabulis togatis cum brevissime liceat agere (nam paucissimae servatae reliquiae), hinc initium sumam disputandi.

Igitur cum ab Ennio sit notum compositas „Sabinas", quibus raptum Sabinarum est persecutus, et ab eodem Marcelli res gestas, item Scipionis maioris fabulis togatis celebratas non careat probabilitate quadam (nam „Ambracia" quidem fuit satura), de Pacuvii (qui plurimum secutus est patrui sui exemplum) uno omnino constat carmine tali, quod inscriptum fuit „Paulus". — Hoc plures secuti Langium Iahniumque (cf. Ribbeckii libr. pg. 327) cum iam statuant tractatam victoriam, quam L. Aemilius L. f. Paulus de Perse Macedonum rege rettulit a. 168, adeoque actam fabulam triumphi quem Paulus egit tempore, mihi semper veri visum est dissimillimum Paulum illum, celeberrimae modestiae temperantiaeque virum reverentiaeque in deos

hominesque maximae, ludis quos ipse ederet exhibuisse elogium tale rerum propriarum. Neque in exequiis eius, quae a. 160 sunt celebratae, hanc fabulam, sed Terentii Adelphos actam constat aliunde.

Quod autem negat Ribbeckius satis decore gravissimam illam populi Romani cladem Cannensem, qua a. 216 Aemilii huius pater mortem pro re publica obiit, potuisse Pacuvio materiam praebere scribendi, primum fugit eum non semper laetas aut honorificas populo Romano res tractatas fabulis togatis; id quod vel Octaviae, saec. I p. Chr. compositae, quod solum extat integrum huius generis carmen, demonstratur exemplo. Praeterea argumentum illud aptissimum existimo fuisse praetextatae, non modo propter Pauli nobilissimum viroque Romano dignissimum exitum, sed quod statim post proelium Cannense in melius versam rem Romanam vulgo erat notum (cf. vit. Enn. pg. 174 sq.). De quo in exodio fabulae potuit moneri.

Sane quae extant fragmenta, quattuor numero, talia sunt, ut certum de eis statui nequeat. — Et mihi quidem videntur hoc ordine collocanda:

I. Priscian. pg. 677; Macrob. Saturnal. VI, 5, 14:

qua vix caprigeno generi gradilis gressiost.

Verba Pauli extollentis adversus Varronem collegam pugnandi avidissimum callidum fecundumque artibus ingenium Hannibalis, qui anno superiore vel Q. Fabium, imperatorem prudentissimum, ad Casilinum eruptione per saltus callesque invios facta eluserit.

II. Gell. Noct. Att. IX, 14, 13; Non. pg. 490 s. l. progenii:

pater supreme nostrae progenii, patres!

In his illud 'patres', pro quo codices vitiose habent 'patris', descendit a patrando. Verba sunt Pauli invocantis Iovem, a quo genus sese ducere gloriabantur Aemilii (cf. Paul. pg. 23 ed. O. Muelleri). — Cet. vide commentarium in Nonii l. m.

III. Non. pg. 507 s. l. nivit:

nivit sagittis, plumbo et saxis grandinat.

Verba nuntii referentis de pugna Cannensi.

IV. Non. pg. 510 s. l. celere:

nunc te obtestor celere sancto subveni, censorie.

Haec Novio adscripta in codicibus; sed recte Pacuvii nomen restitutum a doctis. Insequentia, de quibus plane incredibilia profert Rib

beckius pg. 330, Nonii culpa haud dubie truncata. Et videntur olim fuisse ut puta haec:

nunc te obtestor celere sancto subveni, censorie,
consilio patriae.

Nempe verba puto Pauli morientis ad Fabium amicum absentem, qui a. 230 censor fuerat, hortantis ut senatui succurreret adflicto nova clade. Nam senatum Romanum ut Horatius post Pacuvium, ita ante Ennius dixit sanctum. Cet. cf. vit. Enn. pg. 102; Liv. XXII, 49.

Accii duae memorantur tragoediae palliatae, Brutus et Aeneadae vel Decius. Et Bruto quidem exactos reges et initia libertatis Romanae describi constat. Fuit et Cassii cuiusdam Brutus, bis a Varrone citatus: de cuius auctore immerito dubitatum a doctis.

In fragmentis quae extant quattuor (ea a Cicerone servata et Varrone) nihil fere notabile, excepto quod somnio Tarquinium monitum de instante rerum mutatione haud indignum memoria. Ac saepius videntur tragici latini hoc usi artificio velut viam muniendi eis, quae essent eventura, praemissa visorum nocturnorum mentione, etiam in hoc secuti Ennium; cuius in carminibus tragicis pariter atque epicis satiricisque frequenter eadem relata.

Altera fabula solus Nonius usus est; qui plerumque inscribit „Aeneadas aut Decium", interdum „Aeneadas". Atque hic videtur titulus ab Accio positus; quo declararetur bello Samnitium tertio, quo proelium factum ad Sentinum, contra coniunctas Samnitium et Gallorum, ferocissimorum Italiae populorum, vires rem optinuisse solos Romanos. A grammaticis altera videtur esse addita inscriptio, quo facilius nosceretur argumentum.

In verbis fabulae constituendis quamquam saepius diversa a Ribbeckio secutus sum, tamen non haec talia fuerunt, ut ad disponenda rectius et explicanda fragmenta multum pertinerent.

Et illa quidem:

nil neque pericli neque tumultist, quod sciam

in principio fabulae haud dubie posita excipiebat deinceps, nisi fallor, versus de subito hostium adventu nuntiantis ignaviamque exprobrantis Romanis:

et nunc, quae eorum segnitas, aras, focos;

si recte haec constituta a nobis; nam in codicibus est: „et nunc quod eorum segnitas ardet focus". Sequebatur ut puta „periclitari" vel „in dubio esse". Diverbium inter eum, qui hostium vim effugisset, et Ro-

manum hortantem, ut de itinere et consiliis illorum se certiorem faceret, videtur contineri loco manco (pg. 200 s. v. castra):

„castra haec vestrast". — „optime essis meritus de nobis"..

ubi codices habent „a nobis". Haud multo post posita fuere haec:

summa ubi perduellumst? quorsum aut quibus ec partibus
gliscunt?

Item haud longe ab initio carminis locum habuere anapaestica:

(saltus) Gallei voce canora,
fremitu peragrant minitabiliter.

Vel instante hostium adventu vel mota iam pugna dictum:

clamore et gemitu templum resonit caelitum.

Ad prodigia ante pugnam facta pertinent verba ducis Romani, quae leguntur pg. 185 s. l. verruncent. Eiusdem aciem instrui Gallorumque saevitiae vices reddi iubentis sunt quae inveniuntur pg. 224 s. l. sanguis.

Denique ipsius Decii vitam pro patria offerentis sunt verba:

quibu' rem summam et patriam nostram quondam adauctavit pater.

Praecesserat ut puta: „usus artibus". Sequebatur:

patrio exemplo ut me dicabo, aeque animam devoro hostibus.

In quibus illud „devoro" pro „devovero" dictum intellexere plerique. Nam Nonius nota socordia repetit a devorando.

His expositis ad palliatas Pacuvii transibimus tragoedias comparatis, sicubi videbitur opus, Ennianis et Accianis.

Igitur Ennii tituli fabularum extant fere XXII, Pacuvii XII, Accii paulo minus quam L, versus vel particulae versuum Ennii circiter 440, Pacuvii 425, Accii paullo minus quam 700.

Pacuvii fabulis eximenda fuit Protesilaus; quae solo constat Antonii Volsci, qui vixit saec. XV exeunte, testimonio; qui ad Laodamiae epistulam Ovidianam (inter heroidas numero est XIII) adnotat et Pacuvium et Titinium Protesilaum tragoediam edidisse; ex qua multum in hanc epistulam transtulisse Ovidium. Quae et verbis sunt inepta (nam „ex quibus" debuit dici, non „ex qua") et re suspecta. Et constat quidem de Titio tragico (nam Titium pro Titinio recte restituere docti), de quo expositum est vit. Enn. pg. 96 sq.; quamquam nulla eius nisi a Volsco nominatim memoratur tragoedia. Sed multo magis dubitandum de Pacuvii Protesilao; quam errore ortam Volsci fabulam,

qui de Laevii compertum haberet Protesilaodamia ex Nonio et Gellio ac Prisciano (in libris autem Nonii aetate illa corruptissimis pro Laevio ubique corruptum vel Naevii vel Pacuvii ferebatur nomen; nec non Protesilaodamiae depravatus erat titulus; item alibi plerumque vera inscriptio legebatur inversa), omnes habet numeros probabilitatis. Et alia incognita aliunde ideoque suspecta apud eundem inveniuntur Volscum; de qua re dixit Diltheius, de Callimachi Cydippa pg. 58 sqq. Quamquam satis constat saec. XV doctos usos interdum scriptis, quae deinceps aut perierunt aut delituerunt, neque semper eorum testimonia spernenda. Cet. cf. et Catulli nostri pg. 81 sq.; Ribbeck. l. m. pg. 326.

Ex tribus vero, qui principes habebantur liberae rei publicae tragici, cur Pacuvius fecunditate venae tantum cesserit ceteris (certe brevitate vitae id non effectum; quam ad nonagesimum produxit annum), parum constat. Illud enim ab omni alienum probabilitate, casu evenisse, quod poetae non minus popularis Ennio Accioque tam paucae fabulae memorantur. Ac satis quidem notum etiam pingendo non mediocrem navasse eum operam. Igitur vel hoc studio vel quod tardiore esset natura credo eum impeditum, ne plures conscriberet fabulas. Nam quod idem Ennium avunculum, quem omni pietate prosequebatur, imitatus etiam saturas edidit, quales Ennius, in his eum leviter et breviter versatum ut credamus ea re efficitur, quod praeter Diomedis (gramm. lat. I, 485) et Porphyrionis (comm. in Hor. Sat. I, 10, 46) testimonia, quae ex Suetonio videntur petita, nusquam earum fit mentio ac ne unus quidem omnino citatur versiculus.

Iam iudicii ferendi de Ennio Pacuvioque et Accio quanta sit difficultas quantaque alea partim propter paucitatem fragmentorum, partim quod veteres atque ipse Cicero diversa haud raro adeoque contraria inter se de illis proferunt, in vita Ennii pg. 81 sqq. est expositum.

Principem tamen locum inter palliatae tragoediae auctores optinere haud dubie videtur Ennius. Cui quod nonnulli Romanorum praetulere Pacuvium, non magis puto probandum quam quod recentiores plerique Accium.

Et Pacuvium quidem, cum poeta sit minime spernendus, tamen propter argumenta curiosius conquisita et exilius pertractata (unde doctrinae laude cumulabatur ab antiquariis Horatio aequalibus) nec non propter sermonem contortum et implicatum tumoremque describendi res vel tragico cothurno nimium (quo loco etiam memoranda nimia in componendis verbis audacia; cf. Quintilian. I, 5, 67) et propter alia praestigia ad excitandos adfectus vulgi apta ultimo inter hos loco habendum

declarant fragmenta. Etiam versus eius, quantumvis diligenter elaboratos, carere mobilitate atque elegantia, quam in Ennio Accioque agnoscimus, facile apparet.

Ab Ennio autem primo excultum tragicum dicendi genus, ut exemplo esset insequentibus, ab eodemque gravitatem necessariam tragoediae temperatam multitudine sententiarum luculentarum et ad vitam regendam utilium egregiamque adhibitam artem in moribus describendis declarant carminum reliquiae quantumvis modicae. Itaque etsi non negarim superari eum ab Accio studio et cura (nam et aetas Ennii minus fuit culta Acciana, et ipse interdum sive paupertate cogente sive spiritu rapiente nimis deproperabat scripta sua), tamen secundum in tragoedia latina locum tribuendum censeo Accio. Quem quidem satis constat primum accuratius constantiusque tinxisse scripta fuco quodam rhetorico, ut quem sciret egregie convenire indoli Romanae, cumque omnino diligentius, ut videtur, ad Graecorum se applicaret exemplum, etiam declinationem nominum Graecorum magis ad peregrinae linguae usum revocasse (id quod testatur Valerii cuiusdam versiculus a Varrone servatus: „Accius Hectorem nolet facere, Hectora malet“)—nam ante Graeca tantum non semper flectebantur latine; cf. vit. Enn. pg. 195 sqq.—et re utraque exemplum praebuisse poetis aetatis litterarum latinarum aureae.

In exemplis autem sectandis tragicorum graecorum cum Ennium appareat potissimum observasse Euripidem, subinde Aeschylum ac Sophoclem, Pacuvius Acciusque etiamsi Euripidem satis multum respexere, qui propter nimium de rebus divinis humanisque disputandi amorem mirifice conveniebat ingeniis Romanorum saeculi VI et VII urbis conditae, labefacto olim more ac religione maiorum pronis ad philosophiae studium et ad quaelibet addubitanda paratis magisque in dies intentis et innutritis rhetorum praestigiis, neque Aeschyli aut Sophoclis nulla fuere cura, tamen, quantum in tanta et graecorum et latinorum carminum reliquiarum paucitate licet coniectari, maxime videntur esse imitati Euripidis scholam, quae quarto a. Chr. n. exorta saeculo auctoris sui si non virtutes, certe vitia referret plenissime electis argumentis reconditis et abstrusis intricatisque, sed ad movendos affectus aptissimis, vel describendi res et exornandi arte.

Denique incertum illud, in retractandis tragoediis graecis quantum sibi libertatis sumpserint Ennius, Pacuvius, Accius, excepto quod brevitatem perosos in referendis rebus, quae devincire possent spectatorum mentes, vel proprios locos addidisse probabile est vel traditos

a Graecis extendisse longius suaque arte adornasse curiosius, quodque contaminando hic illic ex alia nonnihil in aliam translatum indiciis constat satis certis; id quod saepius aliquanto in comoediis Romanorum factum, ubi magis ei rei erat locus.

Iam ne nimis excrescat huius libelli moles, non omnia, sed gravissima quaeque ex Pacuvii carminum reliquiis sum tractaturus.

Cuius cum paucae memorentur fabulae, ex plerisque plura sunt servata quam ex maiore parte Accianarum, sed ut ne haec quidem sufficiant ubique ad tenebras, quibus obductae sunt, fugandas. Multa igitur relinquenda, quae ne expediantur fragmentorum obstat paucitas. Ac saepe id potissimum erat agendum, ut commentis Ribbeckii abstrusis et a re alienis substituerentur quae minus appareret abhorrere a probilitate. Et potuit ab eo aliquanto rectius res geri, si maiore fuisset peritia Festi pariter ac Nonii.

I. Atalanta.

Ac primum quidem Atalantae qualis fuisse tragoedia videatur exponam, quippe quam longe aliter institutam ac dispositam mihi sit persuasum atque Ribbeckio visum.

De Atalanta virgine cum multa et varia fabulati sint veteres (nam et duplex ferebatur, altera Arcas origine, Iasi filia, altera Boeotia Schoenei; quarum crebro res confusae), recte videtur intellexisse Ribbeckius carminis Pacuviani explicationem repetendam ab Hygini (si sint eius) fabularum 99 et 100. Ex quibus prioris, quae inscripta est „Auge", verba haec sunt:

„Auge Alei filia ab Hercule compressa, cum partus adesset, in monte Parthenio peperit et ibi eum exposuit. Eodem tempore Atalante Iasii filia filium exposuit ex Meleagro natum. Herculis autem filium cerva nutriebat. Hos pastores inventos sustulerunt atquo nutrierunt, quibus nomina imposuerunt, Herculis filio Telephum, quoniam cerva nutrierat, Atalantes autem Parthenopaeum, quoniam virginem simulans Atalante [in monte Parthenio] eum exposuerat. Ipsa autem Auge patrem suum timens profugit in Mysiam ad regem Teuthrantem; qui cum esset orbus liberis hanc pro filia habuit".

Altera fabula, quam quidem totam afferre non est tanti, de Teuthrante Mysorum rege Augeque ab eo pro filia habita et Telepho, qui matrem quaerens in Mysiam pervenerat, agitur. Nam Telephus, cum Idam novas res molientem devicisset, a Teuthrante praemii loco promissam in matrimonium accepit Augen, ignarus esse matrem. Quae

cum nollet post Herculem consociari alteri, nuptiali nocte primum maritum eundemque filium conata interficere, deinde monstro deterrita et professa facinus rursusque a Telepho petita ferro, postremo agnita ab eo et in patriam reducta est.

Ac satis quidem constat et Atalantae res et Auges a tragicis tractatas graecis; cf. Ribb. pg. 311 sq.; illud tamen plane obscurum, quo auctore sit usus Pacuvius.

Iam in fragmentis, quae Nonii potissimum et Festi opera sunt servata, reconcinnandis illud recte intellectum a Ribbeckio, vel potius quasi per nubem introspectum (pg. 312 sqq.), Parthenopaeum et Telephum parentum investigandorum causa profectos a pastoribus, cum quibus pueritiam egerant, casu devenisse ad Atalantam, et Parthenopaeum procum matris, quam ignoraret, factum ut propositae satisfaceret condicioni cum ea certasse cursu. Cetera tamen quae promit adeo sunt incerta et obscura, ut memorari non sit opus.

Igitur videamus an nobis melius succedat res, ita quidem, ut quae commentariis in Non. pg. 84 s. l. cette breviter exposuimus hic pluribus persequamur.

Itaque hic fere cursus videtur fuisse fabulae.

Atalanta recens nata cum proiecta esset ab Iaso (vel Iasio) patre (cf. Apollodor. III, 9, 2 sqq.), quod indignaretur se non filio, quem exoptaverat, auctum, virgo autem facta et venatrix interfuisset venationi Calydoniae et rem habuisset cum Meleagro, reversa est ad patrem Iasum et ab eo recepta et agnita. Deinde Parthenopaeum edidit et exposuit ignaro patre. Cui confessa de Meleagri amore negavit se post hunc alteri nupturam. Itaque Iasus fatigatus annis uni ex fratribus (Ancaeum, Epochum, Amphidamantem nomina eis fuisse tradit Apollodorus l. m.) regnum tradidit. Qui cum crudeliter superbeque uterentur imperio adeoque negarent Atalantam esse filiam Iasi, cum patre est expulsa, incertum, quem in locum. Sed continuis revocantibus civium precibus Iasus omni opera id est adnisus, ut Atalanta denuo nuberet generoque posset committere summam rerum. Quae tandem exorata promisit hactenus se morem gesturam patri, ut qui se cursus celeritate vicisset coniugio suo poteretur, victus ad mortem duceretur. Atque tum inter multos etiam Parthenopaeus ac Telephus cum certamen inissent, qui profecti ad investigandos parentes in ea loca pervenerant, et ipsi extitere inferiores; sed casu quodam agnito Parthenopaeo uterque servatus est.

Frequens fuit fabula de proposita ab Atalanta eis, qui in matri-

monium se ducere vellent, condicione pedibus certandi. Et vulgata quidem obtinuit fama (cf. Apollodor. III, 9, 2, 6) Milanionem tandem extitisse victorem. Sed cum alii non a Milanione, sed ab Hippomene victam traderent Atalantam ac de huius rebus multa eaque diversissima referrentur, de qua eo plura ficta, quod confusa est, ut memoravi, cum altera Boeotia, potuit etiam illa, quam proposui, facillime excogitari fabula; quae adeo fragmento uno certissime adseritur.

His expositis iam eae promentur fabulae Pacuvianae reliquiae, de quibus certi aliquid possit statui, omissa varietate lectionis, nisi ubi eam cognosci refert.

Non. 450 l. abdicare:

mortem ostentant, regno expellunt, consanguineam esse abdicant.

Verba videntur esse Atalantae in prologo, ut solebat fieri, de rerum suarum statu referentis. Ad fratres haec pertinent Iasi.—Cum aliarum autem heroinarum miseriis suas comparare videtur Atalanta hoc versu (Non. 109 l. famulitas):

quas familitas, vis, egestas, fama, formido, pudor.

Ibi „familitas" dictum pro „famulitas".—Pro „pudor" minus bene cd. Guelferbitanus illud „pavor".

II. Non. 258 l. callet:

omnes, qui tamquam nos servitium serviunt
sub regno, callent dominum imperium metuere.

Verba sunt legatorum Arcadum de saevitia fratrum apud Iasum querentium populariumque excusantium patientiam.

III. Non. 262 l. confidentia:

gradere adque atrocem coerce confidentiam.

Haec fortasse eorundem, Iasum ad reditum adhortantium.—Illud „gradere" dictum ut alibi „i", „vade".

IV. Non. 429 l. urbs, civitas:

nil sollicita studio, obstupida suspenso animo civitas?

Verba Iasi, ut opinor, ad filiam, hortantis ut coniugium iniret communique Arcadum saluti proprium posthaberet commodum.—Praecesserant ut puta haec: „nilne te preces patriae movent?"

V. Non. 512 l. aequiter:

concertare ac disceptare partes da cursu aequiter.

Initium orationis Atalantae promittentis se ex procorum grege eum

electuram, qui in certamine pedum condicione omnibus pari ineundo ipsam cursu anteisset.

VI. Non. 495 l. accusativus pro genetivo:

parentum incertum investigandum gratia.

Verba Parthenopaei itineris suscepti causam patefacientis.

VII. Non. 490 l. itiner:

dolet pigetque
magi' magisque me conatum hoc nequiquam itiner....

Eiusdem querellae, quod profectio illa, quam ut iniret oraculo haud dubie erat monitus, sicut Telephus (cf. Hygin. fab. 100) et ante Oedipus, videretur fuisse frustra.

VIII. Non. 65 l. praegradat:

extremum intra campterem ipsum Parthenopaeum praegradat.

Verba nuntii de certamine inito, in quo refert Atalantam omnes procos, etiam Telephum, ac postremo ipsum vicisse Parthenopaeum.

IX. Non. 226 l. stirpem:

dubito quam insistam viam
aut quod primordium capissam ad stirpem exquirendum virum.

Verba Atalantae, Parthenopaeum et Telephum, quod acriorem eius in se casu nescio quo converterant curam, antequam supplicio afficerentur, de genere interpellaturae.

X. Non. 116 l. geminitudinem:

habeo ego, istam qui distinguam inter vos geminitudinem.

Oratio eiusdem, adductis ad se amicis et de origine incerta confessis, sed geminos se esse ementitis propter oris similitudinem, gloriantis, quod viam reperisset, quomodo parentes utriusque cognosceret. Ac iam tum videtur illi oborta suspicio de eorum genere. — Illud „istam" significat noto usu „quam dicitis".

XI. Non. 477 l. miseretur:

cepisti me istoc verbo. miseretur tui.

Hoc versu, quem recte huic tragoediae adscripsit Mercerus (nam in codicibus pro „Atalanta" legitur „at ac" vel „ad ac"; cf. Indicem Non. s. l. Pacuvius Atalanta), paratus nescio cuius rei mentione facta ad parcendum alterutri ex amicis Atalantae declaratur animus.

XII. Non. 85 l. cette:

cette, is vestrorum uter sit, cui signum datumst.

In his, quae tetrametrum potius creticum quam trimetrum iambicum videntur implere, illud „cette" positum ut alibi „date" pro „dicite".— Atalanta recordata a se, cum Parthenopaeum exponeret, ut posset quandoque agnosci, signum infanti datum anulum, prolatus ab amicis anulus utrius esset sciscitatur. Nec enim dubitari potest, quin huc pertineat versus a Festo pg. 375 ed. O. Muelleri s. l. ungulus ex hac fabula citatus, qui est talis:

suspensum laevo brachio ostendo ungulum.

Quae si recte sunt perscripta, apparet non posse hic reponi, sed in priore parte carminis habuisse locum, ita quidem ut essent verba Parthenopaei ad Telephum, memorantis se post adventum Iaso vel alii nescio cui, qui se de parentibus percontaretur more aetatis heroicae, ostendisse anulum. Sed nescio an restituendum sit „ostende", ut oratio sit Telephi ad Parthenopaeum.

XIII. Non. 506 l. expedibo:

nam quod conabar, cum interventumst, dicere
nunc expedibo.

Verba Atalantae docentis filium quomodo mater eius esset facta.—Illo „cum interventumst" videtur significari scena, ad quam pertinent fragmenta XI, XII.

XIV. Festus pg. 334 s. l. sexu:

triplicem virili partu sexum procreat.

His, quae eiusdem sunt Atalantae, dum persequitur, ut plerumque in tragoediis factum, res domus suae, Alei auctoris generis, qui tres filios habuit (cf. Ribbeck. pg. 313), Lycurgum, patrem Iasi, Amphidamantem, Cephea, continetur mentio.

XV. Non. 160 l. porcet:

mi gnate, id verear eloqui; porcet pudor.

Verba Atalantae cum verecundia incohantis quae de consuetudine, quam cum Meleagro habuerat, erant dicenda.

XVI. Non. 486 l. parti:

ubi ego me gravidam sentio adgravascere
propinquitate parti.

Verba Atalantae. Sequebantur ut puta haec:

in Parthenium nemus
concessi, genitorem ut celarem dedecus.

XVII. Non. 382 l. rimari:

cum occultos pervestigans rimarem sinus.

Haec proxime videntur secuta esse fragmentum praecedens.

Restant alia quaedam, quae quomodo sint explicanda cum satis appareat, quo loco sint collocanda parum constat. — Ita verba sunt Atalantae haud dubie, quae leguntur ap. Non. pg. 481 s. l. potior illam rem:

reite, ut memoravi, is nunc regnum potitur transmissu patris.

Nam respicitur maximus ex fratribus Iasi. — Pro „reite" in codicibus legitur „regi", pro „memoravi, is" „memorabis". Illud propria ductus reposui coniectura; hoc Bothium secutus. Male Ribbeckius:

Tegiae nunc nemoralis regnum potitur transmissu patris,

excepto quod acute excogitatum illud „Tegiae".

Atalantae haud dubie fuit et illud (Non. 355 l. occupare), quo praecipiebatur:

semper satagere, ut ne in amore animum occupes.

Porro hemistichio tali (Non. 378 l. plaga):

etsi metuo picta de plaga [pallam],

ubi „pallam" ex sequentibus irrepsit, videtur Iasus usus, quo indicaret, nisi a se et Atalanta obviam iretur fratris crudelitati ac superbiae, regnum domus suae periclitari. Male Nonius s. l. plagam dicit partem lecti esse vel omnem. Melius idem, quod in Pacuvii exemplo testatur plagam poni pro clavo. Nam regiae vestis clavus picturis insignis ad summam testificandam potentiam omnino videtur significari.

Cetera quae servata sunt paucissima cum sint talia, ut optime locum habere potuerint in hac fabula, tamen a quo sint prolata vel quo ordine posita non apparet.

Denique nihil cum sit traditum, quod ad finem tragoediae pertinere videatur, tamen similem non dubitamus fuisse exitum ei, quem habes in Hygini fabula 100, quam supra excerpsi, vel in Iphigenia Taurica, ita quidem ut agnitos avum et matrem in regnum antiquum reduceret Parthenopaeus.

Et hic quidem per accuratiorem notitiam Nonii totam Pacuvii fabulam expedire licuit, quantum potest fieri in fragmentis reconcinnandis, talemque eius speciem informare, quae nec a probabilitate sit aliena et praestet nonnihil priorum commentis. — In ceteris eiusdem poetae carminibus certe extat numerus locorum, cui editio Nonii nostra

vel aliquid lucis impertiat novae vel ansam praebeat nova quaedam eademque, ut spero, haud inutilia cognitu proferendi. Quae quidem ordine litterarum servato per singulas persequemur tragoedias.

II. Antiopa.

Antiopam Pacuvii inter celeberrimas fuisse fabulas ac vel primo p. Chr. n. saeculo, quod minime erat aequum antiquissimis poetis, habuisse admiratores demonstrat Persii locus (I, 77):

sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta

Quibus etiam comprobatur verbis tumoris, quem supra notavi, et ampullarum ne in hac quidem tragoedia oblitum poetam. Quamquam inversa nonnihil verba eius satis constat. Nam accusativo graeco, qui dicitur, ita ut ponit Persius, eum usum persuadere mihi non possum.

Ex Euripidis tragoedia cognomini hanc petitam docet Cic. de fin. bon. et mal. I, 2, 4. Qui tamen quod et hanc et alias quasdam fabulas ad verbum dicit expressas de graecis, omnino fallitur. Nec enim is fuit mos poetis Romanorum, nedum scenicis, quos spectatorum commoditati consulere oportebat, illiberali ac putida interpretatione invertere scripta Graecorum. Quae adeo non modo a comicis, sed etiam a tragicis cum sermone multimodis mutato, tum addendo, demendo, traiciendo, denique duas fabulas miscendo inter se et concinnando (quae contaminatio vocatur) liberius retractata.

Argumentum describit Hyginus fab. 8 praemissis verbis: „eadem Euripidis (nam praecesserat diversa de Antiopa narratio), quam scribit Ennius". Ibi verba „quam scribit Ennius", quae non sunt in indice fabularum, ab interpolatore videntur addita, qui neque sermone uteretur satis eleganti et re falleretur. Nec enim de Ennii quidquam alibi traditum Antiopa. Itaque recte argumentum ab Hygino expositum ad Pacuvii tragoediam rettulit Hartungius.

Eius autem summa fuit haec fere. Congressa cum Iove Antiopa cum Nyctei patris, Boeotiorum regis, poenas timeret, in Cithaeronem fugit montem; ubi geminos edidit, quos inventos educavit pastor quidam (frequens fabula haec de heroibus) et vocavit Zethum et Amphionem. Antiopen misericordia motus duxit Epopeus Sicyonius. At Nycteus irae tenax Lyco fratri moriens mandavit, ut poenas ab illo pariter et Antiopa repeteret. Igitur hic illato, post longum tamen tempus, Sicyoniis bello interfecit Epopea, Antiopam abduxit captivam et excruciandam tradidit Dircae uxori. Cuius tandem saevitiam cum fuga evasisset, ad filios pervenit ignara; sed ab eis non est agnita, verum pro serva fugitiva habita nec recepta. Et casu quodam cum Dirce in eadem loca per orgia Bacchi esset delata, agnitam Antiopam ad mortem iussit rapi. Sed interventu pastoris, qui eos educaverat, edocti de origine sua Zethus et Amphion eripuerunt matrem periculo, Dircen ad tauri cornua religatam interfecerunt. Lyco Mercurii iussu pepercerunt, ita tamen, ut Boeotiae regnum traderet Amphioni.

In hac fabula, quam longa tractavit expositione Ribbeckius (pg. 281—301), cum Euripides morem suum secutus Zethi (quem quidem ipse dicebat „Setum", quod exularet tum temporis a litteris latinis „z", necdum aspiraretur consonis) et Amphionis proposuisset dialogum prolixum admodum et enucleatum de vitae ratione optima, ne a Pacuvio quidem ea disputatio praetermissa (cf. Auctor. ad Herennium II, 27, 43); quippe quae conveniret spectatorum, ingenti inde a bellis Punicis Graecorum cultus et artium inflammatorum amore, desideriis.

Praeterea apparet ad movendos affectus aptissimam praebuisse materiam cruciatus, quibus Dirces impotentia vexavit Antiopam. Hac igitur occasione et Euripides usus (cf. Ribbeck. pg. 293) et Pacuvius. Adeoque tristitiam Antiopae quasi in proverbium abisse docet Persii locus supra allatus.

Habitus eius, cum ex servitute fugisset, videtur describi ita:

illuvie corporis
et coma prolixa, impexa, conglomerata atque horrida.

Quae verba olim ex codice Monacensi scholiorum Persii, ubi citantur, suppleta protulimus; nam ante ferebantur manca. Ante illud „illuvie" fuit veluti „foeda" vel „taetra".

Ex narratione, ut puto, Antiopae, cum filios adiret ignara ad fidem implorandam, vel postquam ab eis est agnita, petita fuere haec:

frendere Nyctes. misera quae perpessa sum!

ubi „misera" nominativus est. Nyctes (pro quo apud Pacuvium scilicet fuit „Nuctes") dictum, ut Orphes, Teres, similia. Codices male habent „noctes".—Ad servitutem, quam apud Dircen serviebat, pertinebant illa:

perdita inluie atque insomnia;

ubi „inluie" positum pro „inluvie".

Ad imperiosa Dirces iussa spectabat versus:

fruges frendeto solido saxi robore;

ubi codicum scriptura corrupta; neque potest servari quod in eis legitur „frendo", si verum putaris illud „solido saxi robore"; cui imperativus magis convenit quam indicativus. Traditum fere „solas acsic probore". Cf. Non. 447, 23.

Agnitione facta mutua his verbis usa Antiopa (cf. Ribb. pg. 300):

salvete gemini, mea propages sanguinis.

Praecessere ut puta haec Amphionis vel Zethi:

salve, mater optima.

Cf. Non. pg. 472 s. l. conplectite.

Chorus in Euripidis tragoedia fuit duplex, alter senum Thebanorum, alter Dirces comitum. Apud Pacuvium astici, i. e. urbis Thebanae incolae, hic illic partes eius videntur sustinuisse. Nam continuus et qui ubique eadem atque in Graeca tragoedia officia obiret chorus non videtur fuisse in tragoedia Romanorum ante tempus Augusti; cf. vit. Enn. pg. 79 sq.

Et fuit dialogus inter Amphionem et asticos. Quem hic emendatum adscribam, quia in tractando eo ratio fefellit Ribbeckium.

Amphio.

quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
brevi capite, cervice anguina, aspectu truci,
eviscerata, inanima cum animali sono.

Astici.

non intellegimus, nisi si aperte dixeris.
ita septuose dictione abs te datur,
quod coniectura sapiens aegre contuit.

Amphio.

testudo.

Haec citantur a Cicerone praeter versus „ita septuose—aegre contuit"; qui leguntur apud Nonium pg. 170 s. l. septuose. Iam cum ipsius Ciceronis verbis confirmetur verba „non intellegimus, nisi si aperte dixeris" subiecta fuisse verbis Amphionis, apparet male vulgo poni post ea quae sunt „aegre contuit"; quae adeo ne intellegi quidem possunt, nisi praemiseris illa. Nam habes figuram etiam in prosa frequentem, qua pro praemisso „ita" (vel „sic" vel „tam") subiunctoque „ut", particula consecutionis, praeponitur posterius enuntiatum

omisso „ut", sequitur prius servato „ita". Illud „contuit" coniunctivus, dictum ut „edit", „duit". Significat idem quod „perspiciat"; sicut apud Ennium Annal. 92 positum „conspicit".

Praeterea idem labitur Ribbeckius, cum versus hos ab Amphione aenigmatis loco ad ingenium suum iactandum experiendamque asticorum sollertiam propositos esse statuit. Etenim si sic res haberet, non potuere astici queri, quod ita septuosa dictione esset usus Amphion. Nam in laude habebatur, et merito, aenigmatum quaestiones quantum posset fieri maxime implicari. Igitur propius a vero est ab Amphione aliter iniectam testudinis mentionem, veluti cum proverbio uteretur, quo de re, quae perpetrari non posset, testudo volans poneretur, cf. Francisci de Furia comm. in fabulas Aesopeas pg. 65 sq., vel ut indicaret se testudinea uti lyra.

Ceterum etiam hoc loco tumor ille Pacuvii, de quo supra memoravi, comprobatur plenissime. Denique quod Probus in Verg. Ecl. II, 25 tradit Pacuvium testari Amphionem et Zethum Iovis ex Antiopa Nyctei natos, haec non probabile est in prologo prolata, ut Ribbeckio visum, a pastore, qui invenerat eos in Cithaerone, cum is ne suspicari quidem posset de origine illorum divina, sed potius alibi in fabula, et quidem, nisi fallor, in fine, ubi Mercurii interventu pax inter Lycum et Antiopae filios reconciliatur. Ibi igitur auctoritate numinis quae de origine geminorum memoraverat Antiopa confirmata veri est simile.

Quae restant fragmenta, cum sensu sint perspicuo, partim recte explicata et disposita a Ribbeckio, partim quo loco quove ordine sint collocanda incertum.

III. Armorum iudicium.

De „Armorum iudicio" sive ut Pacuvium inscripsisse suspicor „Armum iudicio" (cf. Cic. Orat. 64, 155) pauca mihi sunt dicenda.

In hac fabula aliter, atque a Sophocle Livioque et Ennio institutum, summa rerum referebatur ad iudicium de armis Achillis potissimo Graecorum tribuendis latum, non ad insaniam Aiacis, quae insecuta est illud et praecessit eius mortem. Cf. Ribbeck. pg. 218.

Interfecto Achille primum ludi sunt facti; quos apparandos indicant haec:

.... seque ad ludos iam inde abhinc exerceant.

Quibus finitis propositum erat certamen de armis Achillis, quae

destinarentur ei qui oratione habita demonstrasset se melius ceteris meritum de Graecis per tempus belli. Verba fuere Agamemnonis:

... qui sese adfines esse ad causandum volunt,
de virtute is ego cernundi do potestatem omnibus;

ac deinceps:

qui viget, vescatur armis, id percipiat praemium;

ibi „viget" videtur dictum pro „valet causa", non ut opus sit scribi „qui vincet". Illud „vescatur" non, ut Nonio placuit pg. 416, pro utendo positum, sed pro fruendo. Pro „id" codices habent „it" vel „ut". Et Vlixes, qua erat facilitate, videtur hoc cupide probasse:

..... et aecum et rectumst, tu quod postulas.
iurati cernant.

Omnibus consentientibus et simul concedentibus Aiaci et Vlixi propter verecundiam (cf. Ovid. Metamorph. XII, 622 sqq.) Aiax detrectavit certamen, quod indignus esset, cum quo lis haberetur, Vlixes:

an quis est, qui te esse dignum, quicum certetur, putet?

Vbi fallitur, ut solet, Nonius, cuius lemma est pg. 473 „certatur pro certat".

Atque hac fortasse occasione usus Pacuvius quae Vlixes et Aiax maxime vel ex suis rebus extollerent vel exprobrarent invicem altercatione mutua protulit.

Igitur vel Nestore vel Minerva suppeditante consilium initum Troianos captivos iudices instituere rerum ab utroque gestarum. Cf. Hom Odyss. XI, 547.—At obiectum est posse fieri ut hi detrectarent rem cernendam, qnod metuerent ne Aiax victus in ipsos saeviret potius quam in principes Graecorum, qui iudicium detulissent:

proloqui non paenitebunt libere ingrato ex loco?

Sic enim haec scribenda. Cf. Non. 475 l. paenitebunt.

nam canis quandost percussa lapide, non tam illum adripit,
qui sese icit, quam eumpse morsu lapidem, qui ipsa ictast, petit;

ubi „qui" alterum est ablativus.

Iam qua via sint usi Graeci ad rem expediendam non comparet. Dubium igitur utrum captivi illi arbitri sint facti, an, quae alia fuit fama, aliquis ex Graecis aucupatos virginum Troianarum de Aiacis et Vlixis facinoribus sermones detulerit ad Graecos eisque auctor exti-

terit arma Achillis tribuendi Vlixi (quo possit referri versus a Nonio 126, 22 servatus: „quod ego inaudivi accipite et qui sit facto opus decernite"; ubi „qui" positum pro „quo"), an denique ipsi Graecorum principes victa Aiacis pertinacia et utriusque oratione audita tulerint iudicium.

Quod non videri coram editum ex verbis quae sunt „nilne ad te de iudicio armum accidit?" bene conclusit Ribbeckius pg. 220.

Tum Aiax iniuriae quam putabat illatae non patiens finem sibi vitae fecit cum gravissimis exsecrationibus popularium. Cf. Sueton. vit. Caes. cap. 84.

Adeoque, ut apud Sophoclem fieri videmus, parum afuit quin sepultura prohiberetur corpus eius. Quo pertinet diverbium hoc inter militem custodientem cadaver et Teucrum vel Tecmesam:

„pro imperio agendumst".—„quis vetat, nequi attulat?"

Vbi „attulat" dicitur pro „attollat". Quamquam non est improbabile hic, ut saepius, Nonium deceptum falsa lectione ac reponendum „abstulat" pro „auferat".

IV. Chryses.

De Chryse fabula quae dicam habeo haec. Is, unde nomen traxit, a Pacuvio nimirum dictus „Cruses". In codicibus Nonii modo „Chryse" scriptum, modo „Chrise", aliquando „Chrese" vel „Chruse"; saepe et „h" omissa. Ipsum vix aliud dedisse crediderim quam „Chryse". Nam ut in exemplis plerumque, ita etiam in titulis orthographia utitur novicia, hoc est ab Augusti tempore instituta.

Tractantur hac tragoedia res Orestis et Iphigeniae ex Tauride Sminthen insulam appulsorum, ubi sacerdos erat Apollinis idemque rex (cf. Aen. III, 80) Chryses, Chryseidos Iliadis initio nobilitatae ex Agamemnone filius. Is ignarus originis (nam Apollinem patrem finxerat Chryseis) infensusque Agamemnoni memoria contumeliae illatae avo traditurus erat hospites consanguineos Thoanti insecuto, qui efflagitabat fugientes, donec a matre vel avo de origine edoctus isdem auxilium tulit adversus barbarum, quem interfecit. Fuit autem et Sophoclis tragoedia Chryses, quam exemplo fuisse Pacuvio non abhorret a vero. Cet. cf. Hygin. fab. 120 finem; fab. 121; Ribbeck. pg. 248 sq.

Iam ut singula persequar, primum est notandum versus haud dubie Pacuvianos 86, 87, 89—92 ed. Ribb., quos cum apud diversos ferrentur auctores primus coniunxit Scaliger, item 93, ductos ex Chrysippi

Euripidei loco nobilissimo, qui a multis scriptoribus graecis memoratus, quamquam omisso saepius auctoris et fabulae nomine, legitur apud Nauckium frgm. trag., Eur. 836. Sed id non magis videtur mirum quam quod eodem Lucretius usus est II, 991 sqq.; neque aut de Pacuvii Chrysippo, qui numquam alias memoratur (Accii fuit Chrysippus), cogitandum aut versus illi abiudicandi Euripidi. Sed comprobatur etiam hoc exemplo, quam cupidi fuerint inde ab Ennii tempore spectatores theatrorum Romanorum philosophiae omnisque doctrinae Graecorum.

Ceterum durissimi sunt numeri versus 93, quem Ribbeckius dedit talem:

mater est terra: ea parit corpus animam aether adiugat.

Quae plane circa caesuram sunt vitiosa. Molliora quae posuit idem libri de trag. lat. pg. 257. Neque tamen videntur haec satis commode sanari posse nisi additis quibusdam veluti:

terra mater est.
ea parit corpus. pater tum fetu animam aether adiugat.

Ceterum pro „animam aether" in Nonii libris (pg. 75 s. l. adiugare) legitur „anima mater", in Florentino Varronis, qui ultima tria habet verba (d. l. lat. V, 60), „animam ether". Et „aeter" scilicet scriptum a Pacuvio, cuius tempore nondum spiritus addebatur consonis (id primum novatum ab Accio), fortasse et a Nonio.—Nos tamen in antiquissimis scriptoribus recensendis eam sequimur viam, ut, nisi graviores aliud suaserint causae, eius saeculi orthographiam reddamus, quod fuit inter Augustum et Traianum. Namque hoc sermo latinus cultissimus fuit castigatissimusque pariter elegantia urbanorum hominum et curis grammaticorum.

Iam ubi positus fuerit locus ille communis incertum.—Ceterum hic fere decursus fuit tragoediae, nisi fallor, ut initio convocatos augures, aruspices, vates certiores faceret Chryses de portentis divinitus oblatis; quibus (ut saepe in fabulis fieri videmus) denuntiatum erat fore ut ingens scelus patraretur, nisi in tempore caveretur. Nam mox, nisi deorum beneficio esset subventum, parum afuit, quin naturae leges hospitii pariter iure et consanguinitatis violato laederet Chryses. — Itaque verba regis fuere haec:

cives antiqui, amici maiorum meum,
consilium socii, augurium atque extum interpretes,
postquam prodigium horriferum, portentum pavos;

ubi notandi multiplices genetivi in „um" exeuntes.

Deinde post tempestatem gravissimam Orestes cum suis appulsi Sminthen insulam, postquam unus eorum scopulo conscenso vidit Thoantis classem appropinquantem simulque detexit specum late patentem, ubi res suas commode possent condere, iam Chrysae comitumque eius implorarunt auxilium.—Atque huc pertinet illud: „adiutamini et defendite" (Non. pg. 74 s. l. adiutamini; Donat. ad Terent. Adelph. prolog. 16). Quae si forte, ut sequens fragmentum, trochaica sunt (quamquam multum variarunt in diverbiis tragici pariter et comici trimetros iambicos et septenarios trochaicos), in principio fuere versus collocata, ita ut ultima in „defendite" elideretur sequente vocali.

Cum primum ex more de patria et parentibus interpellarentur, Agamemnonem gloriosius memoravit Orestes:

atque, ut promeruit, pater mi patriam populavit meam.

Vbi illud „ut promeruit" idem quod „pro meritis suis".

Illa autem (Non. 415 l. vesci):

fugimusque; arte haec vescimur

haud dubie videntur esse verba Orestis vel Pyladis ad Chrysen, quibus de fuga ex Tauride et avecto simulacro Dianae vel siqua alia averterant agitur.—Sequebatur descriptio tempestatis, qua Chrysen insulam depulsi essent. Cf. Non. 488, 14.

Cognita autem origine hospitum videtur Chryses aliquamdiu haesisse inter odium domus Agamemnoniae et consilia, quae prudentia suppeditaret:

sed cesso inimicitiam integrare.

Vbi „cesso" idem quod „cunctor". — Inimicitiam inter Europam et Asiam significari existimo, quae debebat resurgere, si denuo laederentur Graeci a barbaris. Et memoria belli Troiani his, nisi fallor, continetur verbis:

promerenda gratia,
simul cum videam Graios nil mediocriter
redandruare opibusque summis persequi.

Sequebatur ut puta:

siquis petierit ultro sese iniuria.

Nam redandruare hic est reddere; cf. Non. 165 l. redandruare.

Deinde advecto Thoante, qui deposcebat, id consilii videtur inisse Chryses, ut ceteris servatis Orestem et Iphigeniam, ut Agamemnonis prolem simulque signi Dianae Taurici raptores, tradere pararet illi,

atque tum nobilissimum ortum inter Orestem et Pyladem certamen, cum uterque se pro Oreste haberi vellet. Namque omnes habet probabilitatis numeros verum vidisse O. Iahnium, cum suspicaretur Hermae II, 223 illa, quae vehementissime admiratum populum Romanum refert Cicero de fin. V, 22, 63, Pyladis, dein Orestis, postremo utriusque verba:

égo sum Orestes. ímmo enimvero ego sum, ínquam, Orestes...
ámbo ergo precámur una símul a te necárier

(quae nescio an a Pacuvio sint translata ex Euripidis Iphigeniae Tauricae loco notissimo) ex Chryse petita, non ex Duloreste, cui alii adscripsere. Nam et facillimum erat Aegistho internoscere utrumque nec eius intererat Pyladi, amico hominis invisissimi paratoque ad ultionem, parcere. Neque omnino Orestis vel Pyladis ad mortem ducti in Duloreste ullam fuisse memoriam probabile est, ut infra videbimus.

Ad ultimum tamen via inventa cognoscendi Orestem; cf. Non. 475 l. opino:

inveni, opino, Orestes uter esset tamen.

Vbi „tamen" paene idem, quod „tandem". Cf Non. 406 l. tamen.— Sed antequam traderentur Orestes et Iphigenia Thoanti, vel Chryseis vel Chryses senior intercedunt; qui, patefacto Agamemnonis filium esse Chrysen minorem, a scelere violati hospitii prohibent. Nam recte videtur Ribbeckius huc rettulisse (pg. 255) versum:

di monerint meliora atque amentiam averruncassint tuam.

Non. 101; 142 l. deiugare; memoria:

perque nostram regiam
unanimitatem, quam memoria deiugat.

Adscripsi haec, ut emendavit Vossius. Nam Nonius bis sine metro: „perque nostram egregiam unanimitatem". Verba sunt haud dubie Thoantis ad Chrysen, quem olim concordia, quae deceret eiusdem fastigii viros, iunctum sibi videtur dicere. Tradit sane Nonius memoriam positam pro vetustate. Sed id falsum satis apparet. Crediderim potius vel ipsius vel auctoris, quem sequitur, culpa locum esse mancum. Subiunctum versu insequente velut „iniuriarum" vel tale quid intercidit. Puto igitur dicta illa a Thoante, cum cognita origine sua nollet Chryses stare promisso tradendi ad necem captivos; unde ad altercationem transitum ac postremo in manus ventum.

VI. Dulorestes.

Pro „Duloreste", quae prope a solo Nonio citatur fabula, codices potissimi saepius habent „Doloreste". Cf. Indicem ed. Non. II, 378; ubi plura de hac scriptura sunt proposita. Quam equidem iam stupore librariorum provenisse persuasum habeo, ut qui imperitia ducti vocabulum graecum interpretarentur per „dolores te", sicut et nonnumquam scriptum. Ita Lugdunensis prior Nonii pro Periboea, quae eiusdem Pacuvii fabula, ubique fere exhibet „peribo ea". Nam Doloresten quod velut Δολορέστην quidam sunt interpretati, id neque analogia videtur commendari neque, ut per hanc stet, satis posse explicari. Itaque Dulorestes dictus Orestes sub servi specie latens.

Quem autem ex Graecis imitatus sit poetam Pacuvius incertum.

Iam cum priores Stieglitzium secuti statuissent in Tauride agi rem, hanc Ribbeckius opinionem, quam prius amplexus erat, iam ipse abiecit, idque, ut mihi videtur, rectissime, assignavitque ei Mycenis in Aegisthi regia locum. Laudandus idem, quod intellexit Nauplii, hominis Graecis ipsique Agamemnoni eiusque domui propter interfectum Palamedem infestissimi, filiorum factam mentionem in fabula eadem. At enim prorsus fallitur, quod de Electrae et Oeacis, unius ex his, cogitavit nuptiis, cum haud dubie Erigonam, Aegisthi filiam, vel Oeaci vel Nausimedonti fratri collocatam narrarit Pacuvius. Nam etsi de Erigones matrimonio tali non magis constat quam de Electrae, tamen negandum potuisse fieri, ut Pacuvius fingeret Aegisthum homini amicissimo dedisse ducendam puellam sibi propter interfectum patrem infensissimam, quae maritum novum aut odio in Aegisthum deberet accendere aut, si perstaret in amicitia, ipsum vexare odio. Neque Agamemnonis filiam suspectissimam conveniebat regiis extolli nuptiis, sed potius plebeio homini tradi, ne quando nocendi haberet facultatem. De qua re extat Euripidis fabula.—Nec minus mire illud Ribbeckius, quod cum initio tragoediae recte iudicasset describi nuptiarum diem, putavit idem frgm. XXXI ed. Ribb. contineri minas Aegisthi adversus Electram recusantem nubere Oeaci.—Accedit quod ipse Pacuvius dicit nubentem gnatam regis. Cf. frgm. I, II. Interrupta vero sollemnia et disiecta Orestis ac Pyladis opera, qui, cum servili habitu irrepsissent in domum Aegisthi, occasione capta et hunc cum uxore et Nauplii filios interfecere, Erigonae iussu Dianae pepercere.

Tradit quidem Hyginus fab. 122 multo post interfectum Aegisthum cum Mycenas esset rumor perlatus Orestem in Tauride immolatum

Dianae, Aleten, Aegisthi filium, regno potitum Mycenarum; ac tum Electram Delphos profectam, ut sciscitaretur de fratris morte et ab eodem nuntio falso, qui mortem Orestis vulgaverat quemque ab Alete subornatum, quamquam id non refert Hyginus, est probabile, Delphis impulsam ad invadendam Iphigeniam sororem, velut fratris interfectricem tandemque agnitione facta Orestem cum suis regressum domum occidisse Aleten, Erigonae pepercisse. Sed tales fabulae quam facile potuerint variari quamque saepe variatae sint quis ignorat?

In Duloreste cum omnia Mycenis ac regnante Aegistho acta esse constet, oraculum ab hoc per legatum petitum Delphis, quod rebus suis timeret, memoratur. Ac fortasse relatum a Pacuvio nuntium missum convenisse ibi cum Oreste et alia quaedam haud dissimilia eis, quae narrat Hyginus.

Igitur initio fabulae (cf. Ribbeck. pg. 247) posita fuisse probabile est responsa Apollinis Delphici; ad quem missus esset legatus propter calamitatem publicam. Nam huc pertinere apparet versum:

nec grandiri frugum fetum posse nec mitiscere.

Simul per eum videtur Clytaemnestra (sive ut a tragicis antiquissimis vocata est ubique Clutĕmestra) de Oreste filio esse sciscitata, quem Agamemnonis caedi subtraxerat Electra.

Verba sunt Aegisthi post auditum oraculum:

sed med incertat dictio. quare expedi.

Responsum legati:

nil coniectura quivi interpretarier,
quorsum flexivia dictio contenderet.

Denique auxilium fert ambigenti regi aruspex sive vates nescio quis, de quo haec dicta:

responsa explanat. mandat ne matri fuat
cognoscendi umquam aut contuendi copia.

Sequebatur ut puta „Orestis" vel „nati". — Deinde misso in praesens metu nuptiae celebrantur Oeacis et Erigonae.—Quod antequam fieret, videtur Aegisthus egisse cum Electra, quae pervicaciter aspernaretur adulterum eiusque coniugem, eique minitatus esse carcerem et tormenta (Non. 179, 11):

nam te in tenebrica saepe lacerabo fame
clausam et fatigans artus torto distraham.

Vbi „clausam" Iahnius scripsit de coniectura. In codicibus legitur

„clausum".—„Saepe" ablativus est, non adverbium.—Cet. cf. Sophocl. Electr. 378 sqq.

In scenam prodeunt Orestes et Pylades; ex quibus hic mangonis, equos vendentis, ille servi habitum assumpserat. — Causam sollemnis diei requirentibus respondetur ita:

gnatam despondit (sc. Aegisthus); nuptiis hanc dat diem;

et porro:

hymenaeum fremunt
aequales, aula resonit crepitu musico.

Quae expressa ex Euripidis Iphigeniae Tauricae 355 sqq. adnotarunt docti. — Quae secuntur verba videntur esse Orestis ad oblatam Electram, sensim patefacientis originem et promittentis ultionem.

quid quod iam, ei mihi!
piget paternum nomen, maternum pudet
profari?—
aut hic est aut hic adfore actutum autumo.—
heus! non tyrannum novi temeritudinem?

Vbi „tyrannum" est genetivus. Dicit Orestes se quamvis solum posse aggredi Aegisthum, quod temeritate sua capi soleant tyranni. Eodem referendum existimo illud (sermo est hortantis Orestem):

macte esto virtute operaque, omenque heis proba.

Vbi codices habent „asprobo"; „omen approba" scripsit Delrius. Illud „heis" vel dativus masculini generis, ut praesentes significentur Electra et Pylades, vel ablativus neutri, qui spectet ad ea quae praecedunt „virtute operaque".

Porro ad Mycenensem nescio quem videntur data haec fallendi causa:

Delphos venum pecus egi; inde ad stabula huc itiner contuli.

Verba sunt Pyladis. De Oreste patefacto dictum:

hicine is est, quem fama Graii ante omnes nobilitant viros?

Quae quidem magis miserantis propter servilem habitum puto esse quam admirantis.

at si tanta sunt promerita vestra, aequiperare ut queam
vereor, nisi numquam fatiscar facere quod quibo boni.

Verba videntur esse Orestis grates agentis, quod is Mycenensis, cuius sunt priora, sive alius quis memoriam Agamemnonis eiusque liberorum cum pietate coluisset.

extemplo Aegisthi fidem
nuncupantes conciebunt populum.

Verba monentis, ut caedes Aegisthi quam celerrime perpetraretur, quod aliter posset defendi popularium factione.

Secuntur Orestis dubitationes sollicitudinesque propter matricidii futuri inexpiabile scelus:

utinam nunc matrescam ingenio, ut meum patrem ulcisci queam!

In fine eorum, quibus hominum de tali facinore iudicia et rumores memoraret Orestes, existimo subiectum illud:

siquis hac me oratione incilet, quid respondeam?

Interim ad Aegisthum rumores perlati, sed incerti, de Orestis adventu:

ni me calvitur suspicio,
hoc est illud quod fore occulte Oeax praedixit malum.

Vbi „ni" et „malum" addita a doctis. Cf. comm. in Non. 7, 5; 6. Scilicet Oeax, gener futurus, iam ante monuerat Aegisthum de futuro mox Orestis sub aliena persona, quo insidias tegeret, adventu:

„is quis est?"—„qui te, nisi illum tu occupas, leto dabit".

Diverbium inter Aegisthum et Oeacem. De Oreste agi manifestum. —De eodem haec dicta ab Aegistho:

unde exoritur? quo praesidio fretus? auxiliis quibus?
quo consilio consternatur? qua vi? cuius copiis?

Vbi nugatur, ut solet, Nonius. Cf. comm. in 262, 31. Ego de coniectura scripsi in editione „consternetur". Sed nescio an indicativus possit retineri, quem interdum pro coniunctivo dubitativo in interrogatione ponunt poetae. Porro Oeacis sunt, non minus pro se timentis propter insidias a Nauplio patre structas Agamemnoni et Graecis:

pater Achivos in Capherei saxis pleros perdidit.

At hemistichium:

illum quaero, qui adiutatur

videtur esse Orestis, desiderantis Pyladem, antequam ad caedem Aegisthi accingeretur. Cf. Ribbeck. pg. 242.

Denique illis (Non. pg. 184 s. l. vanitudo):

„primum hoc abs te oro, ni me inexorabilem
faxis".—„ni vanitudine aetatem tuam
turpassis".

continetur, puto, altercatio inter Orestem vel Pyladem et Oeacem sub fine fabulae posita, cum alter se ad parcendum inimico ostenderet paratum, alter veniam ferociter recusaret. Ibi „ni" bis dictum pro „ne".

Ac nescio an etiam huc referendus sit versus, qui ap. Non. legitur 146, 20:

vae, cum illum videas sollicitum orbitudine?

Nam poterat his verbis Orestes monere Oeacem, ut Nauplii patris reminisceretur, qui amisso olim Palamede et ceteris filiis apud Aegisthum periclitantibus orbitudine angebatur.

Quae restant fragmenta paucissima, cum sensu sint aperto, tamen quem locum optinuerint in tragoedia definiri nequit.

Continua inter se fuere, ut Ribbeckius intellexit, illa:

„non decet animum aegritudine in re crepera confici".—
„nonne vitium fungar vulgi adque aegre malefactum feram?"

Vbi „nonne vitium" scripsi de coniectura. Nam in libris legitur parum concinne: „nonne officium". Sed quod vitium dicitur vulgi moveri vehementius malefactis, etiam hic agnosces philosophiae studiosum Pacuvium

VI. Hermiona.

De Hermiona Menelai et Helenae filia a Sophocle scripta erat tragoedia, quam exemplo fuisse Pacuvio statuit Ribbeckius pg. 261; quod quo iure fecerit mox quaeretur. Eius carminis summa haec fuit (cf. Eustath. Comment. in Odyss. ap. Nauckium Trag. graec. frgm. pg. 140), ut referretur absente etiamtum ad Troiam Menelao in matrimonium Hermionam datam Oresti, fratri patrueli, a Tyndareo; deinde ereptam ab eodem, quod eam Neoptolemo sive Pyrro, Achillis filio, ante Troiam captam despondisset Menelaus. Sed Pyrro interfecto a Machaereo Delphis, quo venerat ad poenas ab Apolline exigendas propter patris mortem, redditam Oresti Hermionam; ex qua deinde Tisamenum editum.

Locus fabulae Pacuvii Delphi haud dubie (cf. frgm. XXII ed. Ribb.; eiusd. libr. de tragoed. lat. pg. 268), quo et Orestes venerat, ut videtur, ad matris caedem expiandam, et Pyrrus cum Hermiona, ut Ribbeckius conicit, consulturus deum de infecunditate Hermionae (cf. pg. 261 sq.). Aderat et Menelaus, non tamen, ut Ribbeckio visum, Tyndareus, avus Hermionae, senex aetatis ultimae. Qui quidem absens

perstringitur, quod impatientia senili ductus non expectato, donec Menelaus rediret, festinasset Hermionam tradere Pyrro; cf. Non. 393, 2; Ribb. pg. 265. Quodsi Pacuvius in eadem fabula persecutus est purgatum ab Apolline matricidii crimine et lustratum defensumque a Furiis urguentibus (cf. Serv. in Aen. IV, 473 comment.) Orestem, id statim in principio ipso agi oportuit. Componi enim Orestes cum rivali Pyrro non potuit nisi sanus iam et salvus. Quo enim pacto homo propter scelera in furorem conversus et a Furiis agitatus aut ambiret amorem Hermionae aut ab ea amaretur? Nec vero insaniae eius in tragoedia Sophoclis videtur ulla fuisse mentio; et ne hoc quidem satis comparet, utrum praesentem Delphis interfuisse rebus eum dixerit necne. A quo, quantum licet concludi ex argumento Eustathii brevi admodum et sicco, sola Machaerei opera propter iram Apollinis referebatur interfectus Pyrrus. Hermionae vero apud eundem hae potissimum videntur fuisse partes, ut cum invita nupsisset Pyrro Apollinem fatigaret precibus obtestationibusque, quo redderetur viro priori, utque interfecto Pyrro in antiquum rediret coniugium.

At in Pacuvii tragoedia cum haud dubie inducatur Orestes reflagitans uxorem et cum Pyrro Menelaoque de ea litigans, abhorret ab omni probabilitate illum, fortissimum heroem, ad interficiendum Pyrrum Machaerei vel alius cuiusquam opera usum, sed cum preces non procederent vi grassatum apparet. Itaque Pacuvius ab Oreste interfectum proposuit Pyrrum, quae item apud alios poetas latinos optinuit fama. Cf. et Hygin. fab. 123.

Igitur si usus est Sophoclis carmine Pacuvius, quin libere admodum immutarit dubitari non potest. Sed propius abest a vero eum alterius poetae secutum exemplar. Nam etsi non constat nisi de Sophoclis tragoedia, facillime tamen potuit evenire, ut Hermiona, cuius saepius res memorantur a poetis antiquis, pluribus Graecorum tragicis praeberet materiam scribendi.

Convenit vero huic, quod primae haud dubie apud Pacuvium partes fuere Orestis, non Machaerei; cuius adeo ne memoriae quidem in fragmentis extat signum certum; neque ullam rem magis quam Hermiona ablata priori marito cui tandem deberet cedere tractatam esse manifestum.

In principio Aegisthi scelus tangi videtur ab Oreste ita:

regni alieni cupiditas
pellexit.

Deinde insania liberatus idem cum de adventu Pyrri inaudisset, primum quidem speravit fore ut is ultro abdicaret uxorem propter infecunditatem:

quod tamen ipsa orbitas
grandaevitasque Pelei penuria
stirpis subaxit.

Vbi „quod" noto usu positum pro „ad quod"; „tamen" idem fere quod „tandem"; „subaxit" dictum pro „subegerit" vel „coegerit" et significationem habet futuri secundi, ut alibi apud Pacuvium (cf. Non. 185, 23):

veniam precor petens, ut quae egi, ago, axim verruncent bene.

Non. 178 l. tetinerit:

sub iudicio quae omnes grados tetinerim.

Haec corrupta. Quodsi recte a doctis repositum „tuo iudicio" et „omnes Graios", apparet illud „tetinerim" dictum pro „detinuerim", „devinxerim" et verba esse Hermionae ad patrem vel Pyrrum, ut excusaret pulchritudine sua inter omnes Graecos celebri Orestis amorem nimium.

Non. 132 l. lamentas:

lamentas, fletus facere compendi licet.

Verba Pyrri ad Hermionam, quae cuperet Oresti reddi. Ceterum vix recte Nonius „lamentas" dici refert pro „lamentationes". Est potius verbum:

lamentas? fletus facere compendi licet.

Non. 96 l. domitionem:

nam solus Danais hic domitionem dedit.

Dicitur Pyrrus virtute pariter sua et arcessito Philoctete Graecis praebuisse facultatem evertendi Troiam tandemque redeundi domum. Ac fortasse de se ipse hoc praedicavit noto usu pronominis, quod est „hic". Quod si ita est, aut creticus in principio versus supplendus, ut ei conveniat cum trochaicis, ubi patris et sua in Graecos extollit merita ille:

quid benefacta mei patris, cuius opera te esse ultum autumant?
quod ego in acie crebro obiectans vitam bellando aptu' sum;

aut alio tragoediae loco eum positum fuisse statuendum. Praeterea dignum memoria illud „domitionem"; pro quo in codicibus levi cor-

ruptela scriptum „domutionem“. Sed „domitio“ dictum ut „animadverto“, „animadversio“; et hanc formam Sullae tempore fuisse in usu demonstrat auctor ad Herennium III, 21, 34. Cf. de re metr. pg. 419 sq. Ita et „domusio“ invenitur. Cf. comm. in Non. 231, 6.

In suam rem trahebat Orestes, quod prius sibi collocata esset Hermiona:

priu' datast quam tibi dari dicta aut quam reditumst Pergamo.

Vbi „dicta“ non est „promissa“, ut Nonius vult 280, 34, sed potius „destinata“.

Obiectum a Menelao illi, quamquam nescio an alia fuerit scena— nam sunt trimetri vel tetrametri iambici—, quod ignominiam subiturus esset Tyndareus rescissis nuptiis, quas ipse conciliasset:

Tyndareo fieri contumeliam,
cuius te veretur maxime!

Vbi notandus accusativi cum infinitivo usus frequens apud poetas antiquiores Ovidio.

Ad mores describendos Pyrri, patri ut virtutibus, ita vitiis simillimi, pertinebant haec:

par fortitudo, gemina confidentia;

in quibus recte dicit Non. 316, 20 geminam esse similem, noto usu fallitur Ribbeckius, qui pro duplici putat positum.

Diomed. grammat. lat. I, 400:

paucís absolvit, né moraret díutius.

Haec, quae apparet de oratione quantum posset fieri brevissime instituta dici, mire rettulit Ribbeckius ad festinatas Tyndarei opera Pyrri et Hermionae nuptias. Nec laudandus idem, quod „diutius“ statuit efferendum dactylice, quasi „djutius“. Nam u prius in „diutius“, „diutissime“ pariter esse breve atque in „diuturnus“ satis est demonstratum de re metr. pg. 348.

Finem fabulae fecit interfectus Pyrrus et Hermiona reddita Oresti.— Pugnae, quae praecessit, inter rivales nulla mentio servata, nisi huc traxeris quae leguntur ap. Non. pg. 87 s. l. clipeat:

currum liquit, clamide contorta astu clipeat braccium;

ubi „clamide“ noto usu dictum pro „chlamyde“; „braccium“ alias scribitur „bracchium“. Sed in his quis significetur curru relicto proelium initurus omnino obscurum; illud certum neque Orestem neque Pyrrum videri indicari. Atque ipsum illud „currum“ videtur suspectum.

Occiso Pyrro unus ex Delphorum incolis, fortasse Machaereus vel aliquis sacerdotum (cf. Ribb. pg. 268), haec dicit:

ibo atque edicam, frequentes ut eant gratatum hospiti.

Denique a nescio quo, fortasse ab ipso Apolline, qui, quod iniurias eius simul cum suis ultus erat Orestes interfecto Pyrro, potuit esse nuptiarum auspex, monentur Orestes et Hermiona, ut coniugium feliciter restauratum concorditer agant:

concorditatem auspicio adiunctam perpetem
probitate conservetis.

Vbi „auspicio“ (i. e. „auspicio nuptiali“) de coniectura scriptum; codices habent „hospitio“, quod sensu caret.

Relicua fragmenta vel recte satis a Ribbeckio intellecta et disposita vel, ubi dubites, non satis digna, de quibus agatur pluribus, vel incerta prorsus loco et ordine. ut solemus, praeterimus.

VII. Iliona.

Iliona quoque, ut dimidia paene pars fabularum Pacuvii, et titulum et argumentum traxit a femina. Quarum partibus ad movendos affectus magis videtur usus esse ille quam vel Ennius vel Accius. Et in Iliona quidem, ut in Atalanta, poeta naturam suam secutus, quae respueret molliora, descripsit mores mulieris. quae virtute, constantia, asperitate superaret sexum suum.

Nam de Polydoro Priami filio apud Polymestora Thracum regem ad vitanda belli Troiani pericula deposito cum diversa fabularentur veteres, etiam haec fuit fama (cf. Hygin. fab. 109), Ilionam sororem eius, uxorem Polymestoris, amore et reverentia ductam parentum regnique Troiani recepto fratri substituisse filium suum Deipylum, huic illum, quo minus ei esset metuendum a Thracum, gentis perfidae, et ipsius Polymestoris inconstantia sive, ut Hyginus l. mem. refert, ut, si unus ex his casu quo perisset, Priamo et Hecubae restaret alter Polydorus sive verus sive fictus. Sed eversa Troia Polymestor, ab Agamemnone corruptus spe accipiendae in matrimonium Electrae aurique magnae copiae ut perderet Polydorum, pro hoc interfecit filium. Cuius umbra mater de scelere certior facta, reverso Polydoro, qui profectus erat peregre ad Apollinis oraculum consultandum de parentibus, a quo edoctus incensam patriam, occisum patrem, captam matrem redux valde miratus est nihil horum accidisse, patefacto vero rerum statu una cum fratre poenas repetiit a Polymestore. Quas quidem pervulgatior

fuit fama, quam et Euripides in Hecubae tragoedia et Ovidius in Metamorphoseon libris secutus est, exactas esse opera Hecubae.

Fest. pg. 281: repotia, postridie nuptias apud novum maritum cum (om. codex) cenatur; quia quasi reficitur potio. Pacuvius in Iliona:

ab eo
depulsum mamma paedagogandum accipit
appottalis liber.

Ita codex Festi unicus (non „appottalis libet"). Pro eo quod est „ab eo" ad sensum metrumque fulciendum nescio an restituendum sit „eilico", i. e. „ilico". — Pro „appottalis liber" quidam scripsere „repotialis Liber", ita indicari rati Polydorum prius matris, deinde sororis lacte nutritum. Sed neque hoc ullo pacto ita potuit reddi et fugit illos depulsum mamma dici pro desueto lacte; cf. Bentl. ad Hor. C. IV, 4, 15; neque lacte nutriendum significari puerum per „paedagogandum". Videtur locus, quem in prologo positum fuisse apparet, mancus esse circa finem. A Pacuvio igitur fere hoc venisse existimarim:

eilico
depulsum mamma paedagogandum accipit
repotialis Liberi terra horrida.

Nam „repotialis" puto cognomen fuisse Baccho apud antiquissimos Romanos; quod non mirum, cum repotia inter statutos ac sollemnes ritus essent nuptiarum. Bene autem illo hic Pacuvius usus, cum Thraces essent famosi compotationibus assidue ineundis repetendisque.—Cet. cf. Ennii fabul. v. 407.

Non. 124 l. inibi:

profecto aut inibist aut iam potiuntur Phrugum.

Verba haut procul ab initio fabulae posita, quibus declaratur aut mox captum iri Troiam aut iam captam.

Tum allatus nuntius de excidio Troiae. Polymestor antequam scelus aggrederetur, consiliorum eius ignara Iliona temptavit efficere, quo ille auctoritate sua permoveret Graecos, ut sinerent Polydorum regno potiri paterno:

tu si conere, credo, avitum sceptrum hunc patientur poti.

Deinde perpetrata caedes Deipyli, quem pro Polydoro habuit pater.— Ab umbra filii edocta mater de scelere proximae noctis insomnio. Ac multum admirationi fuit aequalibus Ciceronis scena illa, qua matrem

dormientem excitabat Deipylus. Cuius cantici octonariis iambicis compositi hoc fuit initium

mater, te appello.

Cic. Acad. pr. II, 27, 88; cf. Epist. ad Attic. XIV, 14, 1; Tuscul. II, 19, 44:

age astá: mane audi: ítera dum eadem istaéc mihi.

Ita hunc versum dedit numeris nullis Ribbeckius. Scribendum:

age ásta, manta! audi: íterandum eadem istaéc mihi.

Mantandi verbo etiam Caecilius aequalis maior Pacuvii usus est.—Ac saepe a Cicerone scenicorum antiquiorum verba citata mutari constat.— Porro scribendum, ut pars codicum Ciceronis habet: „iterandum eadem". Vulgarem lectionem apparet interpolatam ab eis, qui non tolerarent constructionem rariorem „iterandum eadem istaec".

Quae tamen frequens apud antiquissimos auctores. Notus Lucretii versus: „aeternas quoniam poenas in morte timendumst".—Verba esse testatur Cicero in Academicis Ilionae experrectae de somno ad umbram filii dilapsam, quam etiamtum crederet se videre, et dicta sibi repetere iubentis.

Interim e peregrinatione rediit Polydorus. At Iliona magis luctu affecta propter amissum filium quam gaudio propter receptum fratrem nigris fecit rem sacram victimis. De qua re interrogata respondet:

quis deos infernos, quibu' caelestis, dignet decorare hostiis?

Vbi quod a Nonio illud „dignet" explicatur per „dignos putet", Ribbeckius coniecit scribendum „decorari"; potuit „decorarei".

Non. 505 l. sonunt:

ibo ad eam, ut sciscam quid velit.—valvae sonunt.

Verba sunt Polymestoris arcessiti ad uxorem.

Sequitur diverbium inter maritum et uxorem. Ad quod pertinent haec (Non. 470, 9):

Polym.: cur illa quae tu hic mecum altercata's?—Il.: tace!

Non. 183 l. unose:

occidisti, ut multa paucis verba unose obnuntiem.

His verbis in alia, ut puto, scena requirenti filium Polymestori respondetur. Cet. cf. Ovid. Metam. VI, 652 sqq.—„Occidisti" transitive dictum; „unose" pro „universe".

Eodem metro constat versus a Festo servatus pg. 372 s. l.: vecors est turbati ac mali cordis:

paelici superstitiosae cum vecordi coniuge.

Quem quidem et ipsum huic scenae tribuendum existimo. Verba sunt Ilionae de Agamemnone. Recte Ribbeckius, qui cetera male, illud „paelici superstitiosae" refert ad Cassandram; quae secuntur „cum vecordi coniuge" dicta de Clytaemnestra ipsum Festi lemma poterat docere.—Execrationem autem his contineri Agamemnonis manifestum.

Iam post excaecatum et obtruncatum astu Polymestora et Polyxenam vitae invenisse finem declarant haec:

di me etsi perdunt, tamen esse adiutam expetunt,
quom priu' quam intereo spatium ulciscendi danunt.

Nec minus Polydorum, quem in Thracia interceptum omnis testatur antiquitas, perisse certum est. Cecidit uterque, ut puto, manu Thracum regem interfectum ulciscentium. Cf. Ovid. Metam. XIII, 565 sqq. Nam quod dicit Hyginus Fab. 243 Ilionam ipsam sibi intulisse manus propter casus parentium, id ex alia tragoedia videtur petitum.

VIII. Medus.

Medi, qui Aegei Atheniensium regis et Medeae fuit filius, obscurior fuit fama. Vnde saepe librarii pro „Medo" scripsere „medio" vel „Medea". Fabula, quam refert Hyginus cap. 27, ex earum genere, quales Euripides eiusque sectatores amabant tractare.—Igitur ordo rerum traditur fuisse hic:

Medus dum quaerit matrem Colchos advectus est, ubi Aeeta fratre deiecto regnabat Perses, Solis filius, qui oraculo erat monitus, ut caveret ab Aeetae posteris. Cuius rei gnarus ille se Hippotem Creontis Corinthiorum regis, infestissimi Medeae, filium esse finxit. Tamen in vincula est coniectus. Interim advenit Medea. Quae sterilitati qua tum Colchis laborabat, mederi se posse pollicita Hippotem, quem credebat, ut a patre missum puniendi sui causa, ad necem depoposcit, velut Medum a matre subornatum ad interficiendum Persen. Sed cognito tandem hunc verum esse Medum filio pepercit gladioque tradito interficere iussit Persen. Cui obsecutus ille obtinuit Colchidem.

Iam in eis fabulae locis, quae apud Nonium inveniuntur, etsi non minus saepe mihi dissentiendum fuit a Ribbeckio quam in ceteris tra-

gicorum comicorumque latinorum fragmentis, tamen pauca habeo de singulis memoranda, quae non possint peti ex editione nostra.

Non. 76 l. bount:

clamore et sonitu colles resonantes bount.

Verba videntur esse Medi appulsi ad terram, cum undique con fluerent ad visendos advenas Colchi.

Non 324 l. ilico:

repudio auspicium. regrediundumst ilico.

Verba, ut puto Medi, qui, cum audisset a Colcho nescio quo de Persae infenso propter suspicionem in posteros Aeetae animo, destinaret quam celerrime abire ex regno eius, quamquam prosperis nuntiatis auspiciis, quae deinde fuere rata agnita matre et interfecto Perse. Abducto Hippote, quem putabat, cum Medea magis magisque sermonibus consertis commoveretur, ut alium esse existimaret atque Perses dixerat, modo citius incedere coepit cum eo, modo tardius, perturbatione victa. De qua re testatur hic Medi versus:

si resto, poscit ut eam; si ire conor, prohibet betere.

Ibi illud „poscit ut" de coniectura positum; nam in codicibus est „pergitur" („pergit ut" Mercerus). Sed nescio an restituendum sit „percit ut". Nam quod docti volunt verba quae sunt „ciere" et „cire" cum compositis ita differre, ut illud sit „excitare", hoc „vocare", haec non semper differentia est observata. Cf. Lucret. III, 303: „nec nimis irai fax umquam subdita percit".

Deinde paratam se ad auxilium ferendum ita indicat mater:

possim ego istanc aps te cladem averruncassere!

Vbi „possim" optantis est coniunctivus. Codices plerique habent „possum". Sed ipsa infinitivi „averruncassere" ratio et usus hoc demonstrat parum probandum.

Festus 305 l super—pro de:

qua super re interfectum esse dixisti Hippotem?

Ita olim hunc versum constitui d. r. m. 422. Quod si cui displicuerit illud „super" spreta positionis vi pyrrichiace adhibitum initio metri apud Pacuvium (nam apud Plautum admitti licet), potest ita conformari:

qua super interfectum esse re dixti Hippotem?

vel:

qua super interfectum esse dixti re Hippotem?

In illud „dixti H.“ et Ribbeckius incidit. Codex Festi, qui extat unicus, habet: „qua super re interfectum esse Hippotem dixisti“. Verbis autem his compellari Medeam, quae, ut demonstraret non esse Hippotem qui se diceret, contenderet hunc olim perisse, intellexit Ribbeckius. Sed utrum Perses an Medus eis usi sint incertum.

Sicut in Periboea Oenea, in Medo Aeetam senem confectum aetate pariter et miseriis more Euripideo proposuisse videtur Pacuvius. Itaque ille rerum suarum statum pridem afflictum deplorat sic:

refugere oculi; corpus macie extabuit;
lacrimae peredere umore exsanguis genas;
situm inter oris barba pedore horrida, [atque]
intonsa infusa at pectus inluvie scabrum,

Recte enim haec verba, quae Cicero Tuscul. III, 12, 26 Aeetae tribuit, Pacuvii Medo adscripsit Welckerus. Quod autem addit Cicero cum cavillatione: „maeres videlicet regni desiderio, non filiae; illam enim oderas et iure fortasse; regno non aequo animo carebas“, videtur Aeeta more ingenii humani per simulationem eam maxime sibi dolendi causam dixisse, quod Medeam filiam saevitia et intolerantia olim a se abalienasset. Quam tandem reversam cum agnoscere sibi visus esset, haec arte dissimulans respondit:

sentio, pater, te vocis calvi similitudine.

Cui subiecit Aeeta:

quis tu es, mulier, quae me insueto nuncupasti nomine?

scil. „patris“. Nam liberi Aeetae olim vel perierant vel fugerant.

Prior versus legitur ap. Nonium pg. 6 s. l. „calvitur dictum est frustratur“. — Qui subiungitur:

set quid conspicio? num me lactans calvitur
aetas?

cum Pacuvii sit haud dubie, tamen utrum ex Medo sit petitus an aliunde non satis constat. Cf. comment. in Non. 6, 25. Itaque tutius non coniectare vel potius hariolari, utrum sint Aeetae necne verba vel num verum sit quod pro „aetas“ reponi iussit Bergkius „Aeetes“. Debebat certe „Aeeta“. Nam Pacuvius, ut iam alibi dictum, vetustiores secutus graeca latine solet inflectere.

Vltimus autem tragoediae versus videtur fuisse, qui bis citatur a Nonio (170, 15; 176, 4):

populoque ut faustum sempiterne sospitent.

Praecesserat ut puta „precor ut propitient di novom rerum statum“. Verba sunt Medi deiecto Perse rerum potiti.

IX. Niptra.

Pro „Niptris“ praeter unum locum „Niptra“ vel similia exhibent codices Nonii; cf. comm. in 40, 26. Quod utrum librariorum an Nonii, qui parum sciebat graece, evenerit culpa vix definias.

Sophoclis fuit tragoedia Νίπτρα sive ut saepius citatur Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ. Quem secutum Pacuvium apparet ex Cic. Tusculan. II, 21, 48. Tractabatur illa fabula, quae Homero fuit ignota, de Vlixis morte. Quem posteriores ferebant oraculo monitum, ut a filio caveret, suspectasse Telemachum innocentem: sed reversum a profectione, quam a Tiresia iussus ad expiandum sese susceperat (cf. Odyss. XI, 119 sqq.), a Telegono filio ex Circe nato, qui patrem requirebat, consertis noctu manibus casu interfectum. Cf. Ribbeck pg. 270 sqq.—Niptra autem inscripta tragoedia, quod Vlixes ex itinere reversus ad praecavenda pericula, plane ut fecerat, cum a Phaeacibus esset deductus in patriam, habitu ficto se hospitem simulavit, sed ab Euryclea, prout factum videmus apud Homerum (Odyss. XIX, 392 sqq.), dum pedes eius lavat, est agnitus. Nam quod Cicero Tuscul. V, 16, 46 vocat Anticleam, memoria videtur lapsus. Certe Sophoclem, poetam Homeri observantissimum, haud temere mutasse crediderim nomen vulgo notum. Eadem vasis cuiusdam Etrusci titulo dicta Antiphata; cf. Ribb. pg. 273.

Iam cetera antequam expediam non possum quin mirer Ribbeckium existimasse Vlixem iterum regressum in patriam Eurycleae multis rettulisse de eis, quae per decem annorum cursus erat expertus. Quae antequam agnosceretur proferre erat absurdum, cum ita demonstraretur, quis esset hospes, post agnitionem vero factam inutile, quoniam a Phaeacibus reversus eadem illa ad satietatem usque enarraverat domesticis Vlixes. Igitur qui huc trahi potest versus:

quae meum venenis flexit socium pectora

(nam sine fabulae nomine traditum Niptris recte adscripsit Bothius), is ut Cyclopis mentio apud Sophoclem occurrens haud dubie fuit petitus ex oratione Vlixis, qua ad confirmandum se erigendumque in memoriam revocaret labores ante actos. Cf Odyss. XX, 17 sqq. Verbis illis:

aetate integra,
feroci ingenio, facie procera virum

Telegonum potius iuvenem quam Polyphemum Cyclopem describi apparet. Atque illius navigium, non quod Vlixes fabricavit a Calypso digressurus, describi existimo, quod etiam praesentis usus facit probabile, versibus, qui sunt:

nec ulla subscus cohibet conpagem alvei,
sed suta lino et sparteis serilibus.

De coniectura est positum, quod legitur in loco allato a Non. 223, 3:

inde Aetnam montem advenio in scruposam specum;

ubi ego codicum secutus indicia scripsi:

inde adveno montem Oetam scruposa specu.

Illud „adveno“ pro „advenio“, ut „convenam“ pro „conveniam“ et alia plura. „Oetam“ olim restitutum; nam in scriptis libris est „aetam“. Refert igitur Vlixes se peregrinando usque ad Oetam montem Luciferi et Solis insignem ortu et poetarum fabulis celebrem (cf. commenta doctorum in Catull. 62, 7) pervenisse. Denique illud:

Spartam reportare instat, id si perpetrat,

non potuit hercule, ut Ribbeckio placuit, de Menelao dici post eversam Troiam Helenam raptam revehente domum. Quo enim modo Ithacensium quisquam sciscitari in animum induceret hospitem ignotum vel ipsum Vlixem de Menelao, quem paullo ante visitatum reliquerat Telemachus sanum et salvum?—Lectio non omnino certa. Nam pro „reportare“ (quod Odofredi Muelleri est inventum) in codice Festi pg. 217 s. l. perpetrat habes „reponare“. Sed satis est probabilis eiusdem coniectura Muelleri, qui statuit haec dici de Telemacho, cum cuperet matrem post interfectum Vlixem reducere Spartam ad Icarium patrem. Cf. Apollodor. III, 10, 8; ib. 9.

Advecto cum sociis Telegono nave, quae describitur versibus supra citatis, et conserto nocte proelio ad regiam domestici Vlixem adeunt auxilium invocantes. De adversarii habitu haud dissimili Telemachi ibi dicta quae ante memoravi: „aetate integra“ e. q. s. Deinde refertur novum teli genus, quo maxime formidinem incusserat Ithacensibus:

barbaricam pristim subinis nostris optulit,
nova figura factam, conmissam infabre.

Vbi illud „pristim“ Quicherati est restitutum coniectura; nam in codicibus Nonii bis (40, 27; 248, 23) legitur, quod ineptum est, „pestem“. Narrant autem Graeci Vlixem ἀκάνθῃ τρυγόνος θαλασσίας a Te-

legono vulneratum. Et per pristim, quam alii pistrim dixere, aptissime redditur τρυγών.

Igitur Vlixes egressus iaculo frustra petiit Telegonum, Telemachum esse ratus. Tum ab illo accipit vulnus letale; qui inter dolores gravissimos relatus domum, dein audito nomine Telemachi et cognito fatorum praesagium non fuisse vanum, postquam ad constantiam suos est adhortatus, moritur. Defuncto autem patre cum Telemachus prius conatus esset matrem Spartam reducere, Minerva iubente cum hac et Telegono ad Circen profectus est; ubi ipse Circen duxit uxorem, Telegonus Penelopen. Cf. Hygin. fab. 127.

X. Periboea.

De Oeneo Diomedis avo cum multa fabulati essent veteres, Pacuvius ad movendos acrius affectus in referendis casibus eius primas partes videtur detulisse Periboeae, quam post Althaeae, Meleagri matris, obitum duxit uxorem. Qua in re quem tragicum graecum secutus sit non constat.

Fuit quidem Euripidis fabula Oeneus; quam subinde respectam a Pacuvio similis observantiae exempla supra enotata reddunt probabile; quamquam in fragmentis carminis illius nullum est, quod possis dicere expressum a poeta latino.—Quem equidem hic, ut alibi, summam rerum petisse credo a recentiore aliquo poeta eoque Euripidis sectatore, qui, ut saepe factum, idem argumentum tractaret variatis personarum partibus et diversis usus artificiis, sive praestigia dicere mavis.

Extant fragmenta paullo minus XXX, quae cum mediocriter sint corrupta, ut pleraque iam, qualia a Pacuvio perscripta sunt, reddita possit iure quodam adfirmari, tamen pauca inveniuntur, quibus et nexus fabulae satis intricatae patefiat et Periboeae, unde titulum traxit, partes illustrentur.

Ordo autem rerum fuit hic fere (cf. Apollodor. I, 8, 4 sqq.; Hygin. fab. 175):

Tydeus Oenei, qui Calydone regnabat, ex Periboea filius, sed sceleris quod commiserat expiandi causa fugatus cum in expeditione adversus Thebas perisset, pater deiectus est regno ab Agrio fratre minore vel filiis eius et in vincula coniectus gravibusque adfectus contumeliis sive ut alii tradebant (cf. Hygin. l. m.) in exilium actus. Verum Diomedes, Oenei filius, adultus comitante vel Alcmeone vel fratre Periboeae Sthenelo fugavit Agrium, qui tandem ipse sibi manus intulit, ac

filiis eius partim interfectis, partim expulsis vel avo restituit imperium vel, quod is aetate fessus suscipere nollet, Andraemoni genero eius tradidit, ipsum secum Argos abduxit, ubi is filiorum Agrii dolo periit.

Ceterum ineptissimum est, quod Hyginus haec post Troiam deletam facta dicit, cum ante Thebanam Diomedis expeditionem evenisse asserat Apollodorus. Tempori quod fuit post bellum Thebanum adscribit Euripides.

Iam apparet ita rem persecutum Pacuvium ut ab ipso Agrio spoliatum potentia et expulsum e patria, non, ut alii ferebant, domi ad ludibria servatum, diceret fratrem; id quod demonstrat versus bis a Nonio citatus (336, 25; 472, 19; cf. 471, 4):

neque tuum te ingenium moderat neque fraternum ira exilium levat?

Vbi etsi Non. contendit, pg. 336, levare dictum pro relevare, tamen recte repositum puto a Quicherato illud „iram". — Ad fugam Oenei pertinent etiam haec:

metus. egestas, meror, senium, exilium, queis enectu' sum.

Ita enim ultima reficta a nobis. In codicibus legitur male: „exiliumque et senectus".— Et porro:

tríplici pertimefáctus merore ánimi incerte erráns vagat.

Vbi si recte traditum „triplici" (cf. comm. in Non 467, 41), intellegendum videtur Oenea et suo coniugisque exilio et morte Tydei vel casibus Diomedis esse anxium.—Et fertur Oeneus per vasta et inculta. Itaque veretur:

beluarum ut ecferarum adventus ne tetret loca

Etiam relicuorum fragmentorum pars versatur in aerumnis Oenei describendis. Magnum autem, ut saepissime in carminibus tragicis epicisque, momentum apparet attulisse rebus agendis oraculum Apollinis Delphici, incertum utrum Agrio filiisque eius an Oeneo Periboeaeque vel Diomedi datum. Testatur versus ille:

flexa, non falsa autumarei dictio Delphis solet.

In prologo fabulae positum et a Diomede reduce pronuntiatum statuit Ribbeckius propter Oenei Euripidei locum haud dissimilem versum Pacuvii, quem adfert Varro de l. lat. VII, 18 non addito nomine fabulae:

Calydonia altrix terra exuperantum virum.

Initio deinde fabulae non male existimat idem ponenda anapaestica illa, quae leguntur apud Non. pg. 353; 137 s. l. niti—ambulare; macore, eisque contineri querelas Oenei.

Diomedis videntur esse verba profecti ad auxilium ferendum avo et oblati ei, qui ignoraret adesse nepotem, cum is prius esset usus verbis his:

lapit cor cura, aerumna corpus conficit,

verum metu ac pudore impeditus non auderet summam rerum suarum prodere:

parumst quod te aetas male habet, ni etiam heus! ad malam
aetatem adiungas cruciatum reticentia?

Quibus proximus fuit versus hic:

ecfare, quae cor tuum timiditas territet.

Denique patefacto genere suo paratoque ad opem ferendam animo sic abiectum avi animum erigit Diomedes:

tamenn' obfirmato animo mitescit metus?

Sic enim haec fuere scribenda. Nonii codices pg. 406 s. l. „tamen — tandem" habent „tamen". Male a Ribbeckio ita reconcinnatus trimeter:

tamen offirmatod animo mitescit metus.

Nam d paragogicum, quod vocatur, non ausim exceptis „med", „ted", „sed" accusativis sive ablativis (de quibus etiam quaerendum) tribuere Pacuvio Accioque.

Paratissimam ad auxiliandum Oeneo et Periboeae voluntatem ita declarat Diomedes:

nam me perbitere
quovis exitio cupio, dum possim illis opitularier.

Certus autem de re gerenda deos veneratur idem:

veniam precor petens ut quae egi, ago, axim verruncent bene.

Ita in eadem tragoedia Iovis optimi maximi obtestatio continebatur his:

regum imperator aeterne, humanum sator.

Etiam filiorum Agrii fuisse quasdam in Pacuvii fabula partes demonstratur versu illo:

gnate, ordinem omnem, ut ut erit, enoda patri!

Vbi codices habent „gnato"; „ut ut erit", pro quo in isdem est „ut dederit", significat „quodcumque fuerit" (i. e. sive bene res evenerit sive male).

At Diomedes, antequam vi ageretur, videtur conatus esse orando obtestandoque hactenus emollire Agrium, ut in patriam revocaret cum

honore Periboeam et Oenea; qui cum esset grandior aevo, facile poterat carere Calydonis regno. Atque huc pertinet fragmentum supra citatum:

neque tuum te ingenium moderat neque fraternum ira exilium levat?

Ad eiusdem Agrii exprobrationem morum spectant dicta incertum a quo:

nam si te regeret pudor
sive adeo cor sapientia inbutum foret.

Frustrati spe et periculis circumventi multis Diomedis fuere haec (Non. pg. 262 s. l. „consternari"; ubi cf. comment.):

consternare, anime? ex pectore hoc ecvolvito
consilium subitum, res quod enatast modo,
qui pacto inimicis mortem et huic vitam offeras;

ubi inimici sunt Agrius eiusque filii; „huic" dictum pro „mihi"; porro „offeras" more antiquo positum pro „afferas".

Ad caedem Diomedis unus ex filiis ab Agrio provocatur ita:

non potest, Melanippe, hic sine tua opera exanclari labos.

Oenei nomen cum iunctum fuerit cum Liberi cultu, Bacchanalia memorari adeoque inter ipsa orgia perpetratam caedem non erit mirum; cf. Ribbeck. pg. 306.—Antequam vero res gereretur, Periboea monetur asylum petere:

tu, mulier, tege te et tuta templo Liberi.

Atque hoc est unicum fragmentum, quo respici appareat ad eam, unde nomen inditum tragoediae.—Namque illa, quae sunt:

regnum potior, coniugem macto inferis,

quid sibi velint non habeo, nisi forte Agrius, homo sceleratus ac vecors, haec fecit verba, quibus significaret post depulsum Oenea regnumque acquisitum se aut voto coactum aut odio ductum sive quod consiliis suis esset adversata interfecisse uxorem; de qua alias nihil traditum.—Nam Periboeae haec esse verba, quam post expulsum Oenea anum sibi iunxisse Agrium vi coactam ariolatur Ribbeckius, struentis insidias Agrio ad restituendum maritum priorem nemo facile credet.

Templum autem quo confugerat Periboea invasurum ipsamque ab ara, quam tenebat amplexa, abrepturum Agrium his verbis deterruit Oeneus:

quamquam aetas senet, satis habeam virium, ut te ara arceam.

Perpetrata deinceps Agrii caede Periboea, ut puto, gratulabunda haec effudit:

o multimodis varie dubium et prosperum copem diem;

ubi „dubium" et „prosperum" est genetivus.

Denique deiecto Agrio utrum Oenea an, quod recusaret, Andraemona generum Calydonis regem institutum a Diomede rettulerit Pacuvius incertum.

XI. Teucer.

Vt Ennius pariter Aiacis mortem et casus Teucri Salamina reversi et a patre propter suspicionem falsam relegati persecutus est tragoediis, ita et a Pacuvio utriusque res tractatae Armorum iudicio et Teucro.

Fuit Sophoclis Τεῦκρος, item Ionis, nec non, ut testatur Suidas, Nicomachi. Sed quem auctorem secutus sit Pacuvius incertum.

Igitur initio proponitur Telamo ignarus, quid rerum apud Troiam gereretur:

postquam defessus perrogitandost advenas
duobus de gnatis neque quemquam invenit scium.

Ibidem luctus uxoris mentio facta:

quae desiderio alumnum, paenitudine
squales scabresque inculta vastitudine.

In his illud „scabres" idem quod „scabra es"; cf. Non. 169, 25.— Verba sunt fortasse eiusdem Telamonis consolantis illam. De eadem Ennius in Telamone:

strata terrae lavere lacrumis vestem squalam et sordidam.

Sed quod Nonius dicit 243, 3 alumnum (qui genetivus est) dictum pro filiorum, id non omnino verum est. Nam sive Eriboea intellegenda est sive potius, de quo dubitari vix potest, Hesiona, alter tantum ex Telamonis liberis eius fuit filius, alter vere alumnus.

At subito ad spem excitantur parentes audito advenisse nuntium. De quo ita sciscitatur vel pater vel mater:

nilne a Troia adportat fandi?

ubi male traditum „fando". — Deinceps patefactum ipsum Teucrum adesse, qui fortasse sub nuntii persona delituerat. Cf. Ribbeck. pg. 224. Is igitur a laetabunda, ut puto, matre compellatur his verbis:

quam te post multis tueor tempestatibus!

Sed gaudium vehementissime turbatum addita cladium, quas per decem

annos subierant Graeci, ac naufragii, quo reversi a Troia propter iram Minervae sunt conflictati, mentione:

periere Danai; plera pars pessumdatast.

Eadem oratione et dictum de Aiace suis manibus mortuo deque Eurysace tempestatis vi abrepto a Teucro.

Potuit tamen etiam talis esse rerum ordo, ut cum prius de his calamitatibus verba fecisset nuntius, deinde agnosceretur Teucrum servatum eumque consalutaret mater versu supra posito.

Iam si recte, quod tamen nimis est incertum, constitutus est a Ribbeckio versus ille, quem citat Festus pg. 229 s. v. profusus (cf. Paul. pg. 228):

profusus gemitu, murmure 'occisti' antruat.

(i. e.: „occidisti" repetit; ubi „occidisti" est „interfecisti"), haec dicta de Telamone incusante filium, quod incuria ignaviaque et Aiaci et Eurysaci, filio huius, causa extitisset exitii.—Cf. Ribb. pg. 228.—Certe interfuisse illum sermonibus supra memoratis graviterque commotum rebus auditis demonstrant illa:

facessite omnes hinc parumper. tu mane.

Nam post „parumper" interpungendum, non ante. Illud „parumper" est „cito". Cf. Non. pg. 378 s. l. parumper.

Deinde trochaeis septenariis consecuta est gravissima altercatio inter patrem et filium. Quem oratione usurum longiore ita interrumpit ille:

haud sinam quidquam profari, priu' quam accepso quod peto;

ubi „accepso" dictum pro „audiero". Errat Ribbeckius, qui accepit (pg. 228) de recipiendo Eurysace. Tum videtur plura de Aiacis morte et de casu Eurysacis esse sciscitatus. — Sequebantur versus indignationis plenissimi, quibus usus est Cicero de orat. II, 46, 193:

segregare abs te ausu's aut sine illo Salaminam ingredi?

e. q. s.

In defensione a Teucro pluribus, sed magnifice descriptum naufragium, quo distracta erat Eurysacis navis ab illius.—Et videntur Romani, quo minus ipsi amantes fuere viarum maritimarum, eo libentius audisse in theatris ponti desaevientis descriptiones.

At Teucro obiectum a patre versibus anapaesticis vel trochaicis, quod poetarum more causam humilem dictorum arte iuvaret. Cf. Non. 506, 31—33 ibique commentarium.

Finitum est diverbium his Telamonis verbis:

te repudio nec recipio natum. ito, facessito!

Mota regis domo extitere qui suaderent Teucro, ut in proxima loca discederet, donec aut reconciliaretur senex aut diem obiret (Non. 111, 25; Fest. pg. 325 s. l. sas):

nos illum interea permulcendo propitiaturos facul
remur;—
nam Teucro regimen sapsa res restibiliet.

Vbi cd. Festi habet „Teucrum regi"; „sapsa res" dictum pro „ipsa res".—Fragmento secundo nescio an contineatur pars tetram. iambici.

Hesionae matris abdicatum a patre Teucrum querentis luctus describitur ita:

flexanima, tamquam limphata aut Bacchi sacris
commota, in tumulis Teucrum commemorans suum.

Quae ad hanc fabulam referenda intellexit Bothius. Vbi illud „flexanima" active videtur dictum, ita, ut praecederet vel Telamonis vel potius deorum mentio, quos precibus suis inflectere conaretur Hesiona. Ita alibi Pacuvius:

o flexanima atque omnium regina rerum oratio!

At videtur Teucer detrectasse imperium parentis eumque ad minas compulisse tales:

quamquam iam annisque et aetate hoc corpus putret.

Relicua, quorum quidem sensus in aperto est, omissa a Nonio pg. 159 s. l. putret.—Respondit filius:

at me occide, illinc si usquam probitam gradum;

ubi „illinc" videtur dictum de ara, quam, ut facere solebant supplices, tenebat amplexus.

Idem tamen cum Telamon ab ara eum abripi iuberet deprecatus est vim ita:

at ego, si quisquam me tagit;

ubi „tagit" coniunctivus potius quam indicativus.

Quod si ad hanc scenam pertinuere, quae de Teucro a Telamone dicta et ipsa non dubito:

nisi coherceo protervitatem atque hostio ferociam,

haec per trimetros digerenda videntur ita, ut prior finiatur post „coherceo". Ego in editione Nonii tetrametrum institueram, in quo illud

„coherceo“ trisyllabum esset per synizesin. Sed potuere eadem habere locum in alia scena, cum primum inaudisset Telamo filium esse obstinatum ad manendum.

Sic implicato intricatoque rerum, ut ita dicam, nodo tandem numinis interventu existimo Teucrum adductum, ut obsecutus parenti in exilium abiret, fortasse Herculis, a quo olim liberata erat Hesiona cuiusque in patrocinio erant iter ingressuri. Cf. doctorum commenta in Hor. Carm. I, 7, 23; Ribb. pg. 230 sq.—Apollinis oraculo motum existimat Ribbeckius pg. 231; cuius quidem longe diversae de fine fabulae opiniones a nostris. Qui adfert Horatii versus de Teucro notissimos:

certus enim promisit Apollo
ambiguam tellure nova Salamina futuram.

Igitur sub finem fabulae socios maerentes secum abducturus consolatus est celeberrimo illo dicto, quod huius esse testatur Cicero Tuscul. V, 37, 108, ad Pacuvii Teucrum rettulere plerique:

patriast, ubicumquest bene.

Cf. Aristophan. Plut. 1151; Hor. Carm. I, 7, 21 sqq.; Ovid. Fast. I, 393 sq.

Nondum satis expeditus versus, qui legitur apud Festum pg. 217 s. l. perpetrat:

neque perpetrare precibus inpetria quit.

Ibi ultima sic mutavit O. Muellerus ut scriberet „impetrita (i. e. litationes) quit“. Sed displicet monosyllabum in fine positum neque artius iunctum vocabulo praecedenti. Rectius alii latere existimarunt illud „pretio quiit“. Fortasse scribendum:

neque perpetrare precibus, vi, pretio quiit.

Sed haec quo pertineant incertum.

Ceterum fama fuit post expulsum Teucrum Telamonem et ipsum a civibus esse exactum; filium autem recepto Eurysace, a quo cum redirent Troia tempestate divulsum refert Pac., restituisse patri imperium. Cui deinde successit Eurysaces. Hanc Accius tractavit fabulam.

XII. Incertarum fabularum reliquiae.

Denique extant haud ita pauca, quae, cum certum sit esse Pacuvii, tamen qua in fabula locum habuerint non traditum. Porro quaedam feruntur nomine auctoris non addito, quae docti ad eundem rettulerint

partim recto usi indicio, partim dubio vel perverso. Sane de his statuere lubricum plerumque et periculosum, cum quid intersit inter Ennii, Pacuvii, Accii genus dicendi (nam ad hos paene omnia redeunt, quae ex incertis incertorum fabulis relata apud Ribbeckium extant) propter paucitatem reliquiarum subtilius definire non liceat pariterque omnes ingrediantur, ut ita dicam, innixi cothurno tragico, quamquam ceteris tumidior, ut memoravi, Pacuvius.

Porro sedem certam assignare eis, quae unde sint petita non traditum, ideo saepe difficillimum, quod a latinis tragicis non minus quam a graecis eadem saepe vel simillima tractata argumenta adeoque, ubi diversae plane essent fabulae, loci saepe ac partes sive rerum describendarum sive morum fuere haud dissimiles inter se. Nam Graecorum ingenium etsi fuit feracissimum fabulis inveniendis, tamen in tanto numero carminum multa iterata fingendo vel ex alia fabula in aliam translata non erit profecto mirum.

Igitur in fragmentis ignotae originis ad suas revocandis tragoedias etiam plus est aleae plerumque quam in explicandis illis, quae certis haud dubie adsignanda sunt carminibus. Nos quae secuti alios ex incerti loci adeoque incerti auctoris reliquiis ad singula Pacuvii carmina cum probabilitate aliqua referri posse viderentur supra fere memoravimus omissis plerisque quae vel leviora essent ac minutiora vel in quibus enucleandis Ribbeckius aliique lusisse potius quam aliquid seriae rei viderentur egisse.

Neque nunc in animo est retractare haec. Sed finiturus sum hanc disputationem propositis paucis, quae ad emendanda sive explicanda ea, de quibus modo dictum, spectent.

I.

qua te adplicavisti tam aerumnis obruta?

Ita Ribbeckius numeris plane nullis; nam minime licet tertium trimetri iambici pedem effici vocabulo quod in spondeum exeat. Affertur versus a Prisciano gramm. lat. II, 469, quo demonstretur verbi quod est „plico“ composita aliquando praeteritum formare in „avi“. Pro „tam“ in codicibus optimis est „tamen“; pro „qua“ plerique habent „quae“; „quo“ Bothius. Scribendum vel:

quoi te adplicasti tamen aerumnis obruta?

vel:

quoi te tam aerumnis adplicavisti obruta?

In quibus „applicare se" dictum pro „inniti opibus" sive „auxilium petere". Quodsi lectio prius proposita recte habet, illud „tamen" idem valet quod „tandem".

II.

concilium cicur.

Servata haec a Festo pg. 108; ubi recte docti „consilium". Sed fallitur ille, cum dicit cicur hic pro sapiente positum. Quo enim pacto hoc posset fieri? Significatur potius consilium temperatum et lene. Cf. Hor. Carm. III, 4, 41 sq.:

vos lene consilium et datis et dato
gaudetis almae.

III.

quid est? nam me exanimasti prologio tuo.

In his Paulus pg. 226 recte dicit prologium esse idem quod principium, proloquium i. e. initium sermonis. Mirum quod suspicatur Ribbeckius respici hunc versum a Lucilio, ubi contorta fabularum Pacuvianarum irridentur exordia (Non. 30, 27). Prologium autem (προλόγιον) dixit poeta, non prologum, quod prologi mentio iniecta recordatione rei scenicae risum poterat movere spectatoribus.

Praeterea dignum memoria in prologio primam esse longam, ut eadem apud antiquissimos Romanorum producitur in „prologo" (cf. de re metr. pg. 364). Nam aliter si res haberet, paenultimus pes in versu Pacuvii iambum impleret, quod in senariis iambicis vel trochaicis septenariis apud tragicos latinos non admittitur ita, ut vocabulo iambico vel in iambum exeunte efficiatur. Minus certa res de comicis, sed tamen et ipsa probabilis. Itaque „prologium" apud Pacuvium aequat choriambum.

Legem autem metricam, de qua dixi cum alibi neglexit Ribbeckius, tum versibus eiusdem Pacuvii (Cic. de divin. I, 14, 24) ita scriptis:

et profectione laeti piscium lasciviam
intuentur, nec tuendi capere satietas potest.

Reponendum erat cum Stieglitzio „capere potis est satietas". Nam Cicero initium huius fragmenti, quo usus est de divin. I, 13, 24, liberius invertit ita: „an Achivorum exercitus et tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio, ut profectione—intuerentur, ut ait Pacuvius, nec tuendi satietas capere posset?"

Nec magis probandum quod in verbis auctoris incerti a Cic. de invent. I, 50, 94 allatis finem versus inesse statuit ita:

avarum est mulierum genus.

Melius idem de trag. lat. pg. 492 „genus avarumst mulierum". Sed nescio an initium tetrametri trochaici sit efficiendum ita:

mulierum genus est (vel: genust) avarum;

nam traditum antiquitus „mulierum genus avarum est".

Denique arguendum, quod Ciceronem de nat. deor. III, 26, 66 secutus, a quo saepe neglegentius citantur scenicorum veterum versus, talem instituit trochaicum septenarium:

qui esse volt quod volt, ei ita dat se res, ut operam dabit.

Is quomodo mihi videretur esse refingendus, in editione Ennii (Fabul. 278) declaratum.

IV.

qui stirpem occidit meum.

Vsus his Charisius gramm. lat. I, 109, quo demonstraret etiam masculino genere poni stirpem, si significaret sobolem. Et de hoc quidem nemo dubitat. Exemplo tamen, quod affert Char., res non satis probatur, cum illud „meum" possit esse genetivus pro „meorum", ut alibi dixit Pacuvius „maiorum meum" pro „maiorum meorum" saepiusque usurpat hanc breviorem genetivi formam. Cf. Cic. orat. 46, 155. Nam perinde recte dicitur stirps meorum et stirps meus. Ita Accius ap. Non. 144, 20:

nunc te obsecro,
stirpem ut evolvas meorum remque notifices mihi.

V.

Fest. pg. 133 s. l. manticularum:

ad manticulandum astu aggreditur. scit enim, quid promeruerit.

Haec iniuria suspectata a doctis. Ex quibus memoria maxime dignus Iosephus Scaliger, qui scripsit:

ad manticulandum astu aggreditor. scite quid prome, erue.

At promerendi verbum etiam in malam partem accipi posse docet Nonius 462, 20. Quodsi placuerit illud „aggreditor", poterit scribi in sequentibus;

scis enim, quid promeruerit.

Vbi pyrrichium aequabit particula „enim".


Sub eodem lemmate a Festo eiusdem, ut videtur, Pacuvii verba (nam locus mancus) afferuntur haec:

machinam ordiris novam,
manticula!

Scribendum apparet:

machinam ordi, sis, novam
manticula!

De eo quod est ordire pro ordiri cf. Non. 39 22 sqq.


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010683488


MÜLLER